



EX LIBRIS.
LUIS MONTT
CLOTILDE L. de MONTT



INFORMACION EN DERECHO, EN DEFENSA DE LAS SALVtaciones q́ los predicadores an hecho primero a los ſeñores Obiſpos, que a los ſeñores de la Real Audiencia.

ESCRITA POR EL ILL.mo Y R.mo S.or Dotor D. Pedro de Villagomez Arçobiſpo de Lima, del Conſejo del Rei nueſtro Señor.

DIRIGIDA A LOS SEñORES DESTA REAL Audiencia de la ciudad de los Reyes.

Año de 1650.



Poſtolus ait:[A] Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Et (iuxta S. Auguſtini ſententiam[B]) exponere voluit, quid ſit epiſcopatus, quia nomen eſt operis, non honoris: onus quippe eſt (vt Synodus Tridentina[C] docet) Angelicis humeris formidandum. Quod ſi potentes virtute, facientes voluntatem Domini, ad audiendam vocem ſermonũ eius onus adeó graue ſuſcipere formidarent; quomodo potiùs nos omnium infirmiſſimi ipſum onus iam diu ſuſceptum non exhorrere debemus? quo quidem depreſſi ſumus[E] vſque ad terram, ita vt per experimẽtum merito dicamus cum Pſalmiſta:[F] Humiliatus ſum vſque quaque. Multis enim cauſarum fluctibus quatimur, & tumultuoſæ vitæ tempeſtatibus affligimur.

A 1. Timot. v. 1.
B S. Aug. de ciuit. Dei, lib. 19. c. 19. & in c. qui epiſcopatum. 8. q. 1.
C Cõcil. Trident. ſeſſ. 6. c. 1. de refor.
E Ex Grego. lib. 1. epiſt. 7.
F Pſal. 118. v. 107.

Quo in genere nunc imbecilles humeri noſtri nuper oblatæ contentionis onus, vti grauiſſimum, ſubire recuſant. Siquidem à nonnullis Dominis Senatoribus Regiæ Cancellariæ limanæ prætentatũ eſt, vt cõcionatores ipſis profundè caput inclinent ſalutandi eos gratia prius quam nobis, vt Antiſtiti ſolitam exhibeant ſalutationis reuerentiam. Etenim quod ex nobis eſt (iuxta Apoſtolum[G]) id dumtaxat totis viribus contendimus, cum omnibus hominibus pacem habere, quia profitemur ex animo, quod ipſe docet his verbis:[H] Si quis videtur contentioſus,

G Rom. 12. v. 18.
H 1 Cor. 11. v. 16.

ſus,

ſus,nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.

Vnde nihil tã [I] oneroſum ordini noſtro Sacerdotali videmus,quam rigorem alienæ mentis compatiendo flectere, & renuentium animos mutare. Sed neceſſe eſt(vt ait S Chryſoſtomus [L])vt qui præeſt, multas habeat occaſiones deprimendi & deijciendi animi; ſicut medici neceſſe habent in multis eſſe moleſti laborantibus & cibos,& medicamẽta parantes,quæ voluptatem quidem non habent, ſed multam vtilitatem: & ſicut patres crebrò filijs ſunt moleſti, ita etiam Doctores, & multo magis. Nam medicus quidem, & ſi ab ægrotis habeatur odio; ei tamen bene volunt, qui ad eum attinent, qui,& ipſi non ſunt ingrati, & ſæpe ei, qui ægrotat. Pater quoque tam natura, quàm externis fretus legibus magna facilitate vtitur ſuo in filios imperio;et ſi inuitum caſtigauerit,& increpauerit, nemo eſt prohibiturus;ſed neq ipſe filius eum audebit ex aduerſo aſpicere. In Sacerdote autem magna eſt difficultas. Atque primum quidem debet imperare, ac præeſſe volẽtibus,& qui gratiam habeant,quod imperet:fieri autem non poteſt, vt hoc citó accidat. Nam qui arguitur,& reprehenditur cuiusmodicumque ſit,omnino mittens habere gratiam,eſt infenſus. Similiter & is,cui ſuadetur,& qui monetur, & rogatur,quod diffuſè S.Chryſoſtomus exemplis varijs proſequitur.

I Ex ſenten tia S.Ioan Chryſoſt. hom.6. ſuper Ezechiel.

L S.Chriſoſ. hom. 10. ad Theſal

Quæ

Quæ cum generaliter ſic ſe habeant, ſpecialius ſtudium erga ſæcularem habentes dignitatem adhibere oportet, quoniam (ſicut in iure [M] eſt expreſſum) ſunt nonnulli, qui Præpoſitos ſuos grauiter reprehendunt, ſi vel parum ipſis moleſti extiterint. Non enim (vt ait [N] Baronius) æquo animo dominari alijs aſſueti pati rigidos Sacerdotes ſolent. Nos equidem Senatores omnes Limanos gratos ſemper habere hucvſque curauimus, & exnunc ſummopere deſideramus; id bono publico non parum expedire putantes ex doctrina S. Gregorij [O] cuidam Epiſcopo cum eius Expræfecto contendenti ita reſcribentis: Sacerdotali conuenit dignitati, vt ſi quas eccleſiæ ſuæ cauſas habuerit, aut pacifica eas ordinatione (ſi fieri poteſt) aut certe iudicio interueniente ſine mora definiat: vt ſublata è medio contentionis materia, ſola illi cum filijs ſuis pacis poſſit concordia permanere. Et ſimiliter alij Epiſcopo à quodam Patricio iuſte diſſidenti reſcripſit his verbis: [P] Quamvis cauſa fuerit, quæ fraternitatis veſtræ animos ad iracundiam non immerito prouocarit; tamen ita terrena agi debet vtilitas, vt nullum vos iurgium á charitatis valeat connexione disiungere, oportet namque filijs Sacerdotalem affectum impendere. Et in cauſis (prout ratio ſuffragatur) iuriſdictionem Eccleſiæ minime prætenire. ¶ Sed in præſenti cauſa poſtulat ratio, vt gradum noſtrum, & ordinimem epiſ-

M c. ſunt nonnulli 2 q. 7.

N Baron. anno 590. n. 9.

O S. Gregor. lib. 8. epiſtol. 58.

P S. Gregor. lib. 5. epiſtol. 43.

episcopalem minimé prætereamus, sed quod præ oculis illum habentes meminerimus nos vbique patres, & pastores esse, ne cum regijs ministris demissé nos geramus. Et inde oritur, quod dispensatione diuini sermonis iniuncta, væ mihi est, si non euangelizauero. Et cum Apostolus gëtium hoc formidet, [Q] & clamet; multo magis mihi exiguo metuendum est [R] exemplum Heli. Is enim cum magis honorasset filios suos, quàm Deum, [S] scilicet (vt ait S. Gregorius [T]) dum aperta opera eorum mala dissimulãdo contemneret, ideo audiuit ab ipso Deo ex ore pueri Samuelis: Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus, absit hoc á me: sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: Qui autem contemnunt me, ignobiles erunt. Et paulo post [V] ipse Heli audita filiorum morte cecidit de sella retrorsum iuxta ostium templi, & fractis ceruicibus mortuus est. Absit ergo á nobis vt filios nostros, id est, nostro regimini spirituali subditos (quicumque & qualescumq; hi sint) magis honoremus, id est honorari permittamus, quam Deum; dissimulando & patiendo honorem illorum præferri honori, quem Deus in nostra episcopali persona tamquam in suo (licet indignissimo) ministro accipit, iuxta illud quod Saluator Apostolis, & in eis etiam nobis eorum successoribus

Q 1. Cor. 9. v. 16.

R Ex sententia S. Gelasij Papæ 1. epist. 8.

S 1. Reg. 2. v. 28. & deinceps.

T S. Gregor. in comment. huius loci.

V 1. Reg. 4. a v. 17.

ſoribus dixit: [x] Qui vos recipit, me recipit, & qui recipit me, recipit eum qui me miſit: & qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Sicut [y] & alibi. Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit. Si enim eo modo Deum in nobis inhonorari patimur, ignobiles quidem reddemur tum apud Deum ipſum, qui nos in tanto honore conſtituit, tum apud ipſos, cæterosq́ homines, quibus & omnibus expedit in nobis miniſtro Dei, Deum honorare, vt omnes à Deo ſecundum eius verbum honoremur, & glorificemur: aliás enim cademus de ſella, præſidentiam ſcilicet epiſcopalem amittendo, caſusque noſter erit retrorſum, eoquod nimis indigne loco noſtro ceſimus, atque hoc iuxta oſtium templi, vbi tanquam ſal infatuatum (iuxta Domini ſententiam, [z] verbis S. Hilarij explicatam [A]) proiecti de eccleſiæ promptuarijs cum ijs, quos ita ſalierimus, pedibus incedentium proteramur, quia in traditæ nobis poteſtatis virtute non perſtitimus, & infatuati nihil ſaliuimus, & ſenſu accepti ſaporis amiſſo, viuificare corrupta nequiuimus. Et tandem fracto collo, id eſt, valde humiliati moriemur, & ſimul euacuabitur auctoritas pontificalis, & extinguetur ſacerdotum gloria. Ruente enim Heli de ſella (id eſt, Epiſcopo, in ijs, quæ ad ſuæ dignitatis decorum pertinent, demiſſé ſe gerente) ponti-

x Matth. 10, v. 40.

y Lucæ 10, v. 16.

z Matth. 5. v. 3.

A S. Hilar. in Math. cāt. 4. poſt initium.

B glosſ.ordi. in 1.Reg. 4. v.18. pontificalis ſedes(vt ait gloſſa ordinaria [B]) remanet vacua,& gloria ſacerdotum extincta.

Præterea in propoſito exemplo, iniquitas filiorũ

C 1. Reg. 2. v.12. Heli non ſolum fuit neſciuiſſe Dominum,[C] id eſt (iuxta Chaldaicam verſionem) illos fuiſſe timore Dñi deſtitutos; ſed etiã neſciuiſſe officiũ ſacerdotũ ad populum. Quod ſané poteſt intelligi, ſcilicet eos non attendiſſe, vt par eſt, quanta ſit dignitas ſacerdotalis officij, vt id populus veneraretur, quia in eo Deus honoratur, ſed potius illud parui pendentes popularibus anſam præbebant ipſum aſpernandi.

Et ſicut tunc Heli(iuxta gloſſam ordinariam)pro filiorum iniquitate punitus eſt, quia eos minus ſæuera animaduerſione plectebat; nam &ſi coercuit, & corripuit, non tamen ſatisfecit, quia fecit cum lenitate & manſuetudine patris, non ſæueritate, & auctoritate põtificis: ita modo vbi verſamur circa pontificalis officij debitam exiſtimationẽ habendam, vel ſaltim contemptum eius vitandum; opere pretium eſt, vt in his dicendis nimiam Heli lenitatem caueamus. Quod aſſequemur ſi à regula non deuiemus, quam Apoſtolus nos in Tito docet his ver-

D Tit. 2.v. 15. bis: [D] Hæc loquere,& exhortare,& argue cum omni imperio, nemo te contemnat. Vbi (ſecundum gloſſam ordinariam) dicere voluit: loquere neſcientibus, exhortare ſcientes, & argue negligentes,& rebelles. Nunc ergo locuturi ſumus non neſcienti-

bus

bus Deum,& officium ſacerdotum ad populum illa ignorantia, quæ eſt ſcientiæ theoricæ, & puræ ſpeculationis priuatiua, & qua omnino rudes, & infideles laborant, & quam non habuiſſe filios Heli præſumendum eſt, cum eſſent ſacerdotes, de quibus dicitur (ſecundum illud Malachiæ [E]) labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam,& quam non habere filios noſtros certum eſt. Nam (vt alibi dicebat [F] Apoſtolus) ſcientibus legem loquimur. Sed neſcientibus(proh dolor!)ea ignorancia, quæ dicitur practica, & qua ignoratur, id eſt, non exercetur illa pia affectio, qua ad Deum colendum,& in miniſtris ſuis reuerendum,& obſeruandum dirigimur, qua ignorantia ſæpe fideles docti atque etiã ſacerdotes ipſi ſolent laborare, iuxta illud Ieremiæ: [G] Sacerdotes non dixerunt: vbi eſt Dominus? & tenentes legem neſcierunt me; quaſi reſponderet: dixerunt planè, vbi eſt Dominus, ſed nihilominus tenentes legem, id eſt, ſcientiam theoricam, in practica neſcierunt me, ſicut etiam ij, de quibus dicit Apoſtolus: [H] Qui cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt. Et alibi: [I] Qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. + Et ſicut tunc filij Heli neſciebant hoc modo officium ſacerdotum, non quòd illud ignorarent (vt dictum eſt) ſed quòd (vt ait Mendoza [L]) pro nihilo illud haberent: ſic modo neſcire ſacer

E Malach. 2. v.7.

F Rom. 7. v. 1.

et optime ad rz Ezechiel inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam et inter pollutum et mundum non intellexerunt Ezech. 22. v. 26 —

G Ierem. 2. v.8.

H Rom. 1. v. 21.

I Tit. 1. v. 16.

L Mendoza in 1. Reg. 2. n. 13. in expoſi. lit. n. 3.

dotum officium, facto ostendunt qui putát in nobis illud minoris habendum esse, quàm vsque modo fuit habitum, & ideo prætexunt se præferri debere in honore, qui Deo in nobis, vt in eius sacerdote ante alios debetur, & ita manifestant, se quidem practicé nescire, quia officium sacerdotis ad populum est, quod diuina sententia in ecclesiastico [M] expressit: Fungi Sacerdotio, & habere laudem, & glorificare populum suũ in nomine eius, id est, in nomine Domini, & loco, & vice ipsius. Vnde patet quod honor, quem recipit sacerdos in nomine Domini, recipit ipse Deus per eum, tamquam per suum Angelum, nuntium, vel legatum (vt infra latius explicabitur) & qui hæc non attendit, non ægré ferat (quæsumus) si eum dicimus nescire officium sacerdotum: Aut respondeat (precamur) S. Ioanni Chrysostomo [N] illum interroganti verbis, quæ sequuntur: An ignoras quid sit sacerdos? Angelus quippe Domini est, [O] non enim ex se ipso loquitur. Si despicis, non illum despicis, sed Deum, qui illum ordinauit. Sed vnde (inquies) cóstat Deum fuisse eius ordinationis auctorem? Nempe, si tu hanc habeas opinionem, spes tua inanis facta est. Nam si nihil per illum operatur Deus, neq̃ lauacrum habes, neq̃ mysteriorum particeps es, neque benedictionibus frueris. Non ergo Christianus es.

M Eccles. 45. v. 19.

N S. Ioann. Chrys. in 2. Tim. 2. hom. 2.

O Malac. 2. v. 7.

Hos

Hos igitur (si qui fortè se tales esse fateri velint) principaliter modò alloquimur. Et tamen cum S. Gregorio Nazianzeno [P] nō dubitamus quin nostram dicendi libertatem in optimam partem accepturi sunt, vtpote sacri nostri gregis oues sacræ, magnique pastoris alumnæ. Exhortamur deinde scientes auctoritatibus infra notandis, quas breuitatis causa non tam perpendemus, quam ipsorum ingenijs subtilius perpendendas relinquimus: & tandem si (quod minime speramus) quisquam negligens, aut rebellis velit videri, ipse videat qualiter nos obedire oporteat præcepto eiusdem Apostoli adijcientis: Argue cum omni imperio, id est (secundum Lyram) cum auctoritate pontificali, cuius propria est seueritas (vt Dominus docuit [Q] Jere Miam) vt euellat, destruat, disperdat, & dissipet, priusquam ædificet, & plantet. In quibus verbis [vt explicat Concilium Meldense [R]] Dominus ostendit, quod falce sacerdotali durius valeat, & sæpius debeat recidi, quidquid terrena potestate, vel cupiditate, ignorantia, seu fragilitate, studio, aut subreptione peruersum in ecclesia, aut in humana conuersatione pullulauerit recidendum.

P S. Gregor. Nazia. in orat. ad ciues Naziāzenos angoris plenos, & ad magistratū iratum.

Q Ierem. I. v. 10.

R Concilio. Meld. an. 845. in præfat.

Quamobrem [iuxta præceptum eiusdem [S] Apostoli] amplectemur eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.

S Tit. I. v. 9.

guere. Quod si quid cuipiam durius forsitam vi-
sum fuerit, cogitet quoniam non possumus aliquid
aduersus veritatem, sed pro veritate. [r] Erit itaque
sermo noster [vt ibi explicat Lyra] absque ad-
mixtione alicuius erroris, vt [si opus fuerit] effi-
caciter valeat etiam contradictores refellere. Li-
cet enim multi non contradicunt veritati lingua,
contradicunt tamen vita, id est facto; hos igitur
redarguere [teste S. Hieronymo [v]] bonum opus
est, grandis sarcina, cliuus arduus. Hoc itaque de-
siderat, qui episcopatum desiderat, & sub hoc
onere premimur, qui tenemus episcopatum.

[r] 2. Corint. 13. v. 8.

[v] S. Hieron. apud glos. ordin. in Tit. 1. v. 9.

Ergo Paulus Tito, vt episcopo, & mihi indig-
no præcipiens dicit: Nemo te contemnat. Caue-
re igitur oportet, ne nobis id forte modo contin-
gat [vt ibi dicit glossa interlinearis] pro simpli-
citate; pro ea scilicet, qua non in adeundo solum,
sed etiam in cæteris comitatis officijs faciles om-
nibus nos præbere solemus; Prælatus enim nimis
mollis [auctore ibi Lyra] contemptibilis reddi-
tur subditis suis. Quapropter ne nos ipsos modo
contemni pati videamur, prudentiam decernimus
huiusmodi simplicitati præponendam, Dominus
enim prius dixit: [x] Estote prudentes, sicut serpen-
tes; quám diceret: & simplices sicut colūbæ. Vnde
necesse habemus administrare doctrinam huic ne-
gotio pertinentem. Prudens enim, vt serpens, est

[x] Math. 10. v. 16.

[do-

[docente S. Basilio [r]] qui cum consideratione, ac cognitione potentiæ, ac boni ordinis, ad audientium obedientiam administrat doctrinam. Vt ergo debitum obedientiæ prębeamus auditum sæpe dictis Apostoli verbis: Nemo te contemnat; cum omni imperio [id est, auctoritate pontificali] debemus ad nostrorum fidelium memoriam reuocare quod idem Apostolus de Timotheo præcepit Corinthijs dicens: [z] Nequis ergo illum spernat. Quod tanquam de Episcopo præcepisse perspicuum sit ex verbis immediate antecedentibus, quæ sunt huiusmodi: Opus enim Domini operatur sicut & ego. Vnde infert: Nequis ergo illum spernat.

Vt igitur Episcopis [verbis loquar nunc Tridentinæ Synodi [A]] vbique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, & ipsi [verba sunt Synodi 8. generalis [B]] venerationi digni habeantur, & qui libere errantes principes valeant redarguere; ad memoriam Dominorum reuocamus Senatorum [quod ipsi optime norunt] Concilium Tridentinum [C] tam Principibus, quám cæteris omnibus mandasse, vt Episcopos paterno honore, ac debita reuerentia prosequantur. Et cum S. Carolo, [D] Principes, & eosdē Dominos Senatores summo studio cohortamur, vt meminerint Episcopos eos duces esse, quorum cura, & vigilantia fideles ad cœ-

r S. Basilius apud glos. ordin. ibi.

z 1. Corint. 16. v. 11.

A Cōcil. Trident. sess. 25. c. 6. de reformat.

B Syn. 8. General. sess. 10. c. 14.

C Cōcil. Trident. sess. 25. c. 17. de refor.

D Cōcil. Mediolan. 1. sub S. Carolo, p. 2. tit. de dignit. ab Episcop. retinenda.

ad cœlorum regnum dirigũtur. Quamobrem eos, quo debent honore prosequantur. Alioquin si in præfatis salutationibus Senatores contra solitum præcederent nos, suprascripto præcepto contrairẽt Apostoli dicentis; Nequis eum [id est Episcopum] spernat, & simul nos, si in huiusmodi salutationibus nostro solito loco cederemus esset expresse cõtra eiusdem Apostoli supradictum præceptum, vbi dixit: Nemo te contemnat. Et contra decretum Synodi 8. Generalis dicentis: Ne promoti ad Episcopatum indecentia obsequia exhibeant magistratibus. Ea enim nos ipsi videremur exhibere, si per nostros comministros, & coadiutores in verbi diuini dispensatione talia obsequia prius quàm nobis cum demissione nostræ episcopalis dignitatis pateremur præstare, quia loco nostro cederemus quasi inferiores. Et apertiùs esset contra præceptum Concilij Tridentini dicentis: [E] Non potest Sancta Synodus non grauiter dolere audiens Episcopos aliquos sui status oblitos, pontificiam dignitatem non leuiter dehonestare, qui cum Regum ministris, Regulis, & Baronibus in ecclesia, & extra, indecenti quodam demissione se gerunt, & veluti inferiores, ministri altaris nimis indignè loco cedunt. Quoniam (vt Concilium Mediolanẽse [F] pronuntiat:) Alienum est valde ab episcopali dignitate, si Episcopi in consuetudine Principũ

E Cõcil. Trident. sess. 25. c. 17. de refor.

F Cõcil Mediola. sub S Carolo p. 2. tit. de dignit. ab episcop. retinend.

se se

se se deprimant,& abijciant. Quare hæc,& similia detestata Sācta Tridētina Synodus [G] sacros canones omnes,conciliaque generalia,atque alias apostolicas sanctiones ad dignitatis episcopalis decorum,& grauitatem pertinentes renouando præcipit, vt ab huiusmodi imposterum Episcopi abstineant,mandan: eisdem, vt tam in ecclesia, quàm foris suum gradum,& ordinem præoculis habentes vbique se Patres,& Pastores esse meminerint.

G Cōcil. Trident. vbi supr.

Infertur itaque principaliter ex omnibus à nobis hucusque dictis,& præcipue ex proxime relato Synodi Tridentinæ decreto. Omnium Christianorum interesse duo. Primum in ecclesia,& foris gradum & ordinem episcopalem prę oculis habere. Et secundum,ad id,meminisse Episcopos vbique patres & pastores esse: Nam refert Episcoporum, ne cum regijs ministris, regulis & Baronibus indecenti demissione nos geramus, & tamquam si essemus inferiores ministri altaris,nimis indigne loco nostro cedamus;sed ab huiusmodi imposterū abstineamus. Et idem refert nihilominus reliquorum fidelium,vt nos, quo debent paterno honore,& debita reuerentia prosequantur.

Ad primum igitur assequendum modo inprimis oportet breuiter meminisse quis, & qualis sit Episcoporum gradus, & ordo. Quod ex eorum functionibus patebit.

Et

Et primo Ecclesia Episcopos sæpissime sacerdotes appellat. Vt in primo officio communis confessoris Pontificis ad introitum missæ ait: Statuit ei testamentum pacis, & principem fecit illum, vt sit illi sacerdotij dignitas in æternum. Et in graduali: Tu es sacerdos; &c. Et in introitu secūdæ missę: Sacerdotes tui Domine induant iustitiam. Et in graduali: Sacerdotes eius induant salutari. Et in precibus maioribus ad horas pro Episcopis orat dicens: Sacerdotes tui induantur iustitiam. Et alibi passim & recte.

Quia Episcopi semper sunt, & debent esse sacerdotes, [H] adeó vt plures doctores sint tenentes [I] episcopalem ordinem non suscipere eum, qui sacerdotio caret.

Sacerdotem autem oportet (vt ecclesia in ordinatione presbyteri pronuntiat [L]) offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare. Et propter hæc quinque, & vnumquodque eorum debent Episcopi (quatenus sunt sacerdotes) ab omnibus honorari.

Et quo ad primum, quia solis sacerdotibus in ecclesia competit offerre sacrificium, nam cum ius publicum consistat in tribus, scilicet in sacris, in sacerdotibus, & in magistratibus: [M] Reipublicæ plurimum interest, vt sint sacerdotes, per quos à Domino veniam petamus peccatorum. [N] Et eorum ora-

H c. cssius. 61. dist.

I quos refert Barbosa de offic & potest. episc. alleg. 1. n. 38. & in collect. ad Trid. sess. 22. c. 2. de ref.

L liber pontificalis p. 1. tit. de ordinat. presbyt. in monitione ordinandor.

M l. 1. §. huius. ff. de iust. & iur.

N glossa ibi verbo in sacris.

orationibus iuuemur, quas, vt publici eccleſiæ miniſtri fundunt, & præcipue dum ſacrificant. [O]

Qua in re ſummo ſtudio attendendum eſt, ſacerdotium noſtrum non eſſe qualequale, ſed á Dño Saluatore inſtitutum, in quo Apoſtolis, nobiſque eorum in ſacerdotio ſucceſſoribus poteſtas tradita eſt conſecrandi, & offerendi, & miniſtrandi corpus, & ſanguinem ipſius Domini, qui in cæna dixit: [P] Hoc facite in meam commemorationem. [Q] Quo verbo Apoſtolos, qui tunc aderant, ſacerdotes conſtituit, [R] nobiſque eorum in ſacerdotio ſucceſſoribus poteſtas eſt attributa offerre ſacrificium Deo, miſſaſque celebrare tam pro viuis, quam pro defunctis in nomine Domini. [S]

Et cum ſcriptum ſit: Omnis [T] Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt á Deo, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, quando vt publici eccleſiæ miniſtri oramus, & maxime ſacrificando, tunc efficacius exaudiri credendi ſumus, vt locum tenentes, & perſonam repræſentantes illius Pontificis, de quo Apoſtolus paulo [V] inferius dixit: Qui exauditus eſt pro ſua reuerentia.

Quo circa S. Pontianus [X] Papa, & martyr inter alia ſacerdotum encomia hoc præponens ait: Sacerdotes Deus ad ſeruiendum aſciuit, & familiares in tantum ſibi eſſe voluit, vt etiam aliorum ho-

O Cõcil. Trident. ſeſſ. 22. c. 6. de ſacrif. Miſſæ.

P Cõcil. Trident. ſeſſ. 23. c. 1. de ſacra. ordin.

Q Lucæ. 22. v. 19. & 1. Corin. 11. v. 24.

R Cõcil. Trident. ſeſſ. 22. c. 1. de ſacrif. Miſſæ, & can. 2.

S Vt habetur in forma ordinationis presbyteri in libro pontificali. p. 1.

T Hebræ. 5. v. 1.

V vbi ſupra. v. 7.

X S. Põtian. Papa, & martyr epiſt. 1.

ſtias per eos acceptaret, atque eorum peccata donaret, ſibique reconciliaret.

Et S. Ioannes Chryſoſtomus dixit: [r] Sacerdotis aſpicere dignitatem agitur in terra; ſed officiũ in cœleſtibus negotijs continetur. Non enim homo, non Angelus, non Archangelus, non aliqua alia criatura, non virtus; ſed ipſe Spiritus Sanctus hoc munus inſtituit, atq̃ adhuc manentes in carne miniſterio fungi præſtitit angelorum.

[r] S. Io. Chryſoſt. de ſacerdo. lib. 3.

Et alibi: [z] Medius ſtat ſacerdos inter Deum, & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, & noſtras petitiones illuc perferens, Dominum iratum reconcilians vtrique naturæ, nos, qui offendimus, eripiens ex illius manibus. Hinc (vt docet Innocentius III. [A]) infertur, quod qui eſt inter Deum, & homines conſtitutus, citra Deum, ſed vltra homines minor eſt Deo, ſed maior hominibus.

[z] S. Chryſ. de verbis Iſ. hom. 5.

[A] Innoc. 3. ſerm. in conſecrat. pontific.

Quapropter (vt S. Nicolaus Papa I. Michaeli Imperatori reſcripſit [B]) oportet fidelium pietatem etiam imperialem, ſacerdotibus, qualeſcumq̃ ſint, propter eum, cui deſeruiunt, reuerentiam potius, quàm iniurias exhibere. Quod etiam ius ciuile fatetur [C] in Pauli iuriſprudentis ethnici reſponſo quamdam prærogatiuam ſacerdotibus attribuente, vbi eius rei aſſignatur hæc ratio: Id enim (inquit) non tantum honori perſonarum; ſed & maieſtati

[B] B. Nicola. Pap. 1. epiſt. 8.

[C] tx. in l. nõ diſtinguemus, §. ſacerdotio. ff. de recep. arbitr

ieſtati Dei indulgetur, cuius ſacris vacare ſacerdotes oportet. Nam (ex doctrina S. Hormiſdæ Papæ [D]) honor miniſtri cultus eſt Domini, & qui ſacerdotis porſonam magni habet, maiorem remunerationẽ ab eo, cui ſacerdos famulatur, accipiet. Dicente Domino Ieſu ijs, qui profetas in honore ſuſcipiunt, ſuam mercedem eſſe reddendam. Quomodo autem debeāt ſacerdotes honorari, & quod in dehoneſtatione, ſeu contemptu eorũ dehonoretur etiam eccleſia, probat auctoritas Cõcilij Matiſconenſis [E] ſtatuentis, vt ſi quis ſæcularium quẽpiam clericorum honoratorum in itinere habuerit, vſque ad inferiorem gradum (ſicut condecet Chriſtianum) illi colla ſubdat, per cuius officia, & obſequia fideliſſima chriſtianitatis iura promeruit. Et ſiquidem ille ſæcularis equo vehitur, clericuſq́ ſimiliter, ſæcularis galerum de capite auferat, & clerico ſynceræ ſalutationis munus adhibeat. Si veró clericus pedes graditur, & ſæcularis vehitur equo ſublimis, illico ad terram defluat, & debitum honorem clerico ſynceræ charitatis adhibeat: vt Deus, qui vera charitas eſt, in vtriſq́ lætetur, & dilectione ſua vtrumque adſtringat. Qui veró hæc, quæ Spiritu Sancto dictante, ſancita ſunt, tranſgredi voluerit, ab eccleſia, quam in ſuis miniſtris dehonorat, quandiu Epiſcopus illius eccleſiæ voluerit ſuſpendatur. Si in quouis clerico honorato ex hu-

D S. Hormiſda Papa. epiſt. 74.

E Conc. Matiſconenſ. anno 588. c. 15.

ius Concilij ſententia hæc reuerentiæ obſeruantia deſideratur, & eius defectus ita punitur; quid Concilium ipſum decerneret de mandantibus detrahi ſalutationem Epiſcopo ſemper exhiberi ſolitam?

Quod attinet ad benedicendi officium, Epiſcopi etiã (vt ſacerdotes) ſunt magis venerãdi, quia per manus ſacerdotũ ſolum habent benedici omnia, quæ in cultum Dei conſecranda ſunt, ſicut tẽpla, eccleſiæ altaria, veſtes ſacræ, atque etiam matrimonia (& quod omnia ſuperat) Euchariſtia, quatenus ſe habet vt ſacerdos ad ſacrificiũ, vt quotidie fit in Miſſa, quę quidẽ procedunt ſecundũ eccleſiæ catholicæ vnanimem ſenſum ſuper illis verbis, quæ ab Epiſcopo in ordinatione presbyterorum ad manuũ conſecrationem proferuntur: Quęcumque benedixerint, benedicantur, & quæcumq́ conſecrauerint, conſecrentur, & ſanctificentur.[F] Atque etiam, quia per benedictionem ſacerdotalem populus glorificatur (iuxta illud præmiſſum Eccleſiaſtici [G]) Fungi ſacerdotio, & glorificare populum ſuum in nomine eius, id eſt, Domini, iuxta intellectum Lyræ ibi dicentis; quod ideo glorificare populum dicitur, quia ſummus ſacerdos in nomine Dñi Tetagrammaton benedicebat populum. Et S. Ioannes Chryſoſtomus ait: [H] Deus ipſum regale caput ſacerdotis manibus ſubiecit, nos

F Pontif. Roma. lib. 1. tit. de ord. presbyt.

G Eccle. 45. v. 19.

H S. Ioann. Chryſ. de verbis Iſ. hom. 5.

nos erudiens, quod hic princeps (id est, sacerdos) est illo (id est, rege) maior, siquidem id quod minus est benedictionem accipit ab eo, quod præstãtius est. Et id probatur ex Apostolo* dicẽte, quod Melchisedec sacerdos maior erat Abrahã, quia hũc (etiam repromissiones habentem) benedixit; quia sine vlla contradictione, quod minus est à meliore benedicitur.

* Heb. 7. v. 7.

Præesse autem debere Episcopos omnibus tanquam sacerdotes, & etiam Regibus præferri, ex præfata S. Ioannis Chrysostomi auctoritate modo probauimus, & infra monstrabimus diffusius, quapropter hic non immoramur.

Episcopi etiam venerandi sunt propter prædicationis officium, quatenus hoc sacerdotibus competit, quia sacerdotibus dixit Saluator: [I] Vos estis lux mundi: Et in hoc sensu Sixtus Papa 3. [L] sacerdotes apellat luciferos, dicens: Sint omnes fidem prædicantes Domini sacerdotes luciferi, & vbique lucentes, & in hoc sensu B. Petrus [M] ex testimonio S. Clementis in iure relati, [N] omnes principes terræ & cæteros homines verba diuina libenter audire, & sacerdotibus episcoporum libenter obtemperare, atque obedientes esse docebat.

I Math. 5. v. 13.

L Sixtus 3. epist. 42. quæ habetur in p. I. Concil. Ephesini.

M Petr. 2. v. relatus in c. omnes de maior. & obed.

N S. Cleme. Papa 1. epist. 3. col. 11.

Et in eodẽ sensu accipere oportet modo quod Christus nos docuit dicens. [O] Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio

O Lucæ 11. v. 33. & Lucæ 8. v. 16.

neque operit eam vaſe, aut ſub lecto ponit, ſed ſuper candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant, & luceat omnibus, qui in domo ſunt. Si nos Deus lucem huius prouintiæ conſtituit, ſi lucernã accendit propter noſtræ dignitati annexum prædicationis officium: Nemo velit nos in abſcondito ponere, ſe nobis anteponendo: Nemo ſub modio, id eſt, ad menſuram ſuæ dignitatis dignitatem noſtram æſtimet; ſed diuinis fulgoribus, quos habet à Deo, ſinat eam coruſcare: Nemo operiat eam vaſe, vt lucẽ eius reſtinguat: Nemo ſub lecto ponat, poſt ſua ſubſellia volens nos ſalutari; ſed ſuper candelabrum, id eſt, in primo, excelſiore, & apertiore loco nos eſſe debere cognoſcat, & cognoſci debere verbis, & factis oſtendat; vt qui ingrediuntur, ſcilicet Indi noſtri neophyti lumen videant, debitã myſterijs credendis adhibentes æſtimationem propter auctoritatem prædicantium; et vt doctrina noſtra luceat, id eſt, profectui ſit, omnibus, qui in domo ſunt, id eſt, non tam Indis in eccleſiã ingredientibus, ſed & alijs, qui iam in eccleſiã sũt ingreſſi, & intra eius mẽſuras cõtinẽtur.

In hoc quoque ſenſu propter prædicationis officium appellantur ſacerdotes Angeli, & ab omnibus accipitur illud Malachiæ: [p] Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum

[p] Malach. 2 v. 7.

eſt.

eſt. Quod ſuis ſacerdotibus Riculfus Sueſionum Epiſcopus [Q] ſic expoſuit: Angelus namque latino eloquio nuntius dicitur; & vos quidem Angelorũ miniſteria expletis, quãdo veſtras inſtruitis plebes, atque docetis.

[Q] Riculf. in conſtituti. Sueſionũ.

Quod denique ſacerdotes dum ordinantur, monentur ab eccleſia oportere eos baptizare; intelligendum eſt non ſolum de ſacro lauacro adhibendo, ſed etiam de aliorum ſacramentorum ad preſbyteratus ordinem pertinentium diſpenſatione.

Quia ſacerdotibus huiuſmodi ſacramenta, velut medicinas contra omnes animæ morbos, principaliter, & ex officio Saluator Dominus commendauit. Etenim illi tanquam ſpirituales ſtabularij curam habent orbis ſauciati ſibi ab abſcedente Domino in cœlos tanquam á Samaritano euangelico commendati, [R] iuxta ſententiam S. Ioannis Chryſoſtomi dicentis: [S] Stabularij typum gerunt Apoſtoli, &, qui illos ſecuti ſunt, doctores, & paſtores.

[R] Lucæ 20. v. 35.

[S] S. Io. Chryſoſt. apud gloſſ. ordi. verb. dedit

Quod ita generaliter dictum S. Clemens Papa, & martyr explicat monens, vt omnes ſacerdotibus tanquam ſpiritualibus parentibus debitum impartiantur honorem. Si [T] de parentibus (inquit) ſecundum carnem ait diuina Scriptura: [V] Honora patrẽ tuum, & matrem, vt bene ſit tibi; & qui maledicit patri, vel matri morte moriatur; quanto magis de paren-

[T] S. Clemen. Pap. 19. Apoſt. conſtitut. lib. 2. c. 33.

[V] Exod. 20. v. 12. & Deut. 5. v. 16.

parentibus ſpiritualibus verbis Dei moneamur honore, & charitate eos proſequi, vt beneficos, & ad Deum legatos? qui nos per aquam Deo regenerarunt, Spiritu Sancto impleuerunt, lacte verbi Dei aluerunt, & doctrinæ alimento nutriuerunt, monitis ſtabilierunt, corpore ſalutari, & pretioſo ſanguine nos dignati ſunt, nobiſque peccata remiſſerunt, & ſanctæ, ac ſacræ euchariſtiæ participes fecerunt, ac promiſſionis Dei conſortes, & Chriſti cohæredes conſtituerunt. His igitur reuerentiam adhibentes omni eos genere honoris afficite. Siquidem hi poteſtatẽ vitæ, & mortis á Deo acceperunt in iudicandis ijs, qui deliquerunt, & in damnandis ad mortem ignis ſempiterni, & ijs, qui ſe ad recte viuendum conuertunt, abſoluendis, & viuificandis.

Vnde Gregorius Papa 7: [x] relatus in iure dixit: Quis dubitet ſacerdotes Chriſti Regum, & Principum, omniumque fidelium patres, & magiſtros cẽſeri? & S. Gelaſius Papa 1. etiam in iure relatus Imperatori Anaſtaſio ita reſcripſerat: [y] Si imperator catholicus eſt (quod ſalua pace ipſius dixerimus) filius eſt, non præſul eccleſiæ. Nonne igitur (vt cum eodem Gregorio 7. dicamus) miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrẽ, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & iniquis (vel ſaltim nouis) obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubji-

[x] Greg. 7. lib 8. epiſt. 21 & ex text. in c. quis dubitet 96 diſt.

[y] S. Gelaſi. Pap. 1. epiſt. 8. & eſt tex. in c. ſi imperator. 96. diſt.

ſubijcere, à quo credit non ſolum in terra, ſed etiam in cœlis ſe ligari poſſe, & ſolui?

Prima veró cauſa honorandi epiſcopos, vt patres ſpirituales, eſt præceptum Domini de parentibus carnalibus dicentis: Honora patrem, &c. Hoc enim (dicit Apoſtolus [z]) iuſtum eſt, & primum mandatum in promiſſione, vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram. Iuſtum eſt (vt ait ibi gloſſa interlin.) quia præceptum legis eſt honorare patrem, id eſt, ei reuerentiam exhibere: Quia vt ait ibi Lyra, filij habent à parentibus eſſe incrementum, & documentum.

[z] Eph. 6. v. 1.

Et eſt primum mandatum, ſcilicet ex his, quæ ad honorem hominum pertinent, & erant in ſecunda legis tabula. Nam in prima duntaxat erant ad honorem ſolius Dei pertinentia, & recto tramite ita poſt hæc illud collocatum, nam (vt ait S. Ioan. Chryſoſtomus [A]) primum Deus præcipit honorem erga parentes, eoquod & ante omnia ipſi poſt Deum filijs cauſa viuendi ſunt. Cum ergo (ſecundum gloſſam interlinearem [B]) hoc præceptum loquatur de parentibus carnalibus, vel ſpiritualibus, vt filij eos officio pietatis proſequantur; quanto plus æſtimationis filij accipiunt ſpirituales, quàm carnales, tanto illi obligatiores erunt, erga honorandos parentes ſuos ſpirituales, vt ſibi magis beneficos, hoc eſt (ſecundum [C] gloſſam ordinariam)

[A] S. Io. Chryſoſt. apud gloſſ. ordi. vbi ſupra.

[B] Gloſ. interline. in Exod. 20. v. 12 & in Deut. 5. v. 16. verb. honora.

[C] Gloſ. ord. in Eph. 6. v. 1.

vt eis reuerentiam exhibeant: quanto minus vt eá dethrahi, aut in salutationibus minui cogitent, ne dicamus, studeant, vel mandent.

Item madatum hoc dicitur primum in promissione, scilicet, vt bene sit illud adimplenti, & sit longæuus super terram. Quæ promissio [vt notat interlinearis] non est in alijs mandatis, & intelligitur in vita præsenti in temporalibus, & in spiritualibus, & in vita æterna.

Sed inter alia præcipue sacerdotes videntur reuerendi, quia (quod inter nonnulla ipsorum encomia S. etiam Pontianus Papa, & martyr ad id enumerat [D]) ipsi proprio ore corpus Domini conficiunt, & populis tradunt. Regula enim, & consuetudo ecclesiæ tradit (testante Concilio Niceno [E]) vt hi soli, qui offerendi sacrificij habent potestatem, corpus Christi porrigant.

D S. Pontianus epist. 1.

E Côcil. Nicen. cano. 14. alias 18.

De huiusmodi potestate, quidquid conemur exprimere, vix vllius apparet esse momenti, deficit lingua, sermo disparet, superatur ingenium, opprimitur intellectus; scrutator enim huiusmodi maiestatis [F] opprimetur, à gloria.

F Prou. 25. v. 27.

Illud tamen non est perstrictim animaduertẽdum, quod per ordinationem sacerdotibus datur Spiritus Sanctus, atq̃ Apostolis, eorumq̃ successoribus in sacerdotio potestas est tradita peccata remittendi, & retinendi, iuxta illud Domini [G] Saluatoris

G Côcil. Trident. sess. 23. c. 1. de Sacra. ordin.

uatoris dicentis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſſeritis peccata, remittuntur eis, & quorũ retinueritis, retenta ſunt. [H] Et huius poteſtatis auctoritatem per comparationem Sanctus Ioannes Chryſoſtomus his verbis commendat: Si Rex aliquis (ait idem Sanctus [I]) cuiquã ex ſubditis honorem hunc impertitus fuerit, vt poteſtatem habeat, quoſcumque velit, in carcerem conijciendi, eoſdemque rurſus relaxandi, is nimirum beatus ac mirandus iudicio omnium fuerit. At vero qui à Deo tanto maiorem accepit poteſtatem, quanto cœlum terra pretioſius eſt, quanto etiam animæ corporibus præſtant; hic ita ne tam vilem à Deo dignitatem accepiſſe nonnullis videri debet?

H Ioann. 20. v. 23.

I S. Chryſ. lib. 3. de ſacerdot.

Verumtamen nõ duntaxat vt miniſtros regios (licet adeo potentes) volumus ſacerdotes attendi, ſed vocari poſſe reges, ex illo probat Mendoza, [L] quod de tribubus in templum ad ſacrificandum aſcendentibus dixit regius Pſaltes: [M] Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini ad confitendũ nomini Domini, vbi S. Ioan. Chryſoſtomus pro: tribus, tribus Domini, vertit: ſceptra, ſceptra Domini. Quia ſcilicet digni ſceptro ſunt, qui in ſacrificijs Deo deſeruiunt. Vnde congregatio leuitarum, & ſacerdotum, qui in templo ſeruiebant, ſceptrum dicitur à Deo ad Aaron dicente: [N] Fratres tuos de tribu Leui, & ſceptrum patris tui ſume tecũ; Quaſi ni-

L Mendoza in 1. Reg. 1. n. 1. an not. 4. circa literã, ſect. 1. n. 20.

M Pſal. 121. n. 4.

N Num. 18. n. 2.

si nihil minus dignitatis ex sacerdotio, quam ex regio sceptro, si illud haberent, eis proueniret. Et
o 1.Reg.2. v. 35. ad Heli per Samuelem Dominus dixit: [o] Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, & ædificabo ei domum. Vbi Chaldeus vertit: Statuam illi regnum
p Mendoza 1.Reg.2. v. 35. in exposi. lit. n.17. firmum. Quia (secundum eundem Mendozam [p]) sacerdotium tempore legis, quamuis in officio nõ fuerit regno maius; in pretio tamen, & veneratione par regno habitum fuisse videtur, iuxta verbum
q Exo. 19. v. 6. Domini populo Israel dicentis: [q] Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.

Sed notamus, quod cùm illi carnales Isráelitæ intelligerent promissiones sibi factas in carnalibus duntaxat esse accipiendas; ideo per illud nomen substantiuum [regnum] eis datum fuit intelligi regnum, seu sceptrum, quod sub promissione huiusmodi futurum erat, esse quidem principaliter, & primario imperium terrenum, & temporale; at per alterum nomen adiectiuum [sacerdotale] qualitates eius, & cætera accessoria declarata sunt, scilicet, quod illud regnum promissum, terrenum, &
R Exo 2. v. 16. temporale futurum, esset sacerdotale, id est, maximum, vt ait ibi Lyra. Nomine enim sacerdotij maioritas aliquãdo exprimitur; sicut alibi Iethro, [R]
S 2.Reg. 8. v. 18. & filij Dauid [S] dicuntur esse sacerdotes, id est, maiores, & primi post Regem. Verumtamen ad denotandum aliter fore tempore gratiæ, Princeps

Apo-

Apostolorum sacerdotes è conuerso regale sacerdotium appellauit. Etenim non de terreno imperio, sed de spirituali intelligitur. Vnde Apostolus ait: [T] Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, scilicet qualia sunt Regum; veluti (vt ait S. Ioannes Chrysostomus [V]) diuitiæ, gloria, potentia humana, facundia, auctoritas famulitia, & alia id genus, sed potentia Deo. Nam (secundum S. Ambrosium [X]) ecclesia non armis sæcularibus vincit aduersarias potestates, sed spiritualibus, quæ sunt fortiora Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollētem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi; & (vt præcinit Psalmista [Y]) ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant [scilicet sacerdotes] in eis iudicium conscriptum. Igitur euāgelicos sacerdotes ita alloquitur B. Petrus: [Z] Vos autem genus electum, regale sacerdotiū gens sancta, &c. Non regnum sacerdotale, vt in lege; sed è conuerso regale sacerdotium nos appellat, per nomen substantiuum [sacerdotium] declarans nostrum sacerdotale munus primario, & principaliter esse attendendum, & venerandum; & per nomen adiectiuum [regale] hanc qualitatem, & cætera eiusmo-

T 2. Cor. 10. v. 4.
V S. Ioann. Chrysost. apud glos. ord. ibi.
X S. Ambro. apud glos. ord. ibi.
Y Psal. 149. v. 7.
Z 1. Pet. 2. v. 9.

eiusmodi,vt accessoria,in esse sacerdotio, & mino ris habenda esse.

Immo quod sacerdotalis dignitas regiam non solum æquat dignitatem,sed superat, probatur ex sequentibus.

A Leuit.4. v.3.& v. 22.

In lege scriptum est: [A] Si sacerdos, qui vnctus est,peccauerit delinquere faciens populum,offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino; Et paulo inferius: Si peccauerit Princeps, offeret hostiam Domino hircum de capris immaculatum. Ecce minor á Rege, quam á sacerdote petitur oblatio,& mirum non est:tam procul enim(inquit ibi S. Theodoretus) abest à sacerdotali dignitate is, cui corporum imperium commissum est; Et ex nobiliore victima maior sacerdotis dignitas innotescit.

B Num.27. v.18.

Item iussit Deus constitui principem populi Iosue, [B] qui stabit(inquiens)coram Eleazaro sacerdote.Ecce vir humano imperio conspiccus admonetur á Deo,vt in morem pueri famulantis coram sacerdote stare debeat. Nam(ut inquit S. Chrysostomus [C])si de rebus agitur cœlestibus,Rex ad sacerdotem,non sacerdos ad Regem venire solet.

C S.Ioann. Chrysost. hom. 3.ad popul.

Nec improbus Rex Ozias ignorabat,maiorem esse dignitatem sacerdotalem,quám regiam, cùm à regia in sacerdotalem insilire tentauit, adolere volens incensum super altare tymiamatis.[D]

D 2.Parali. 26. v 16.

Idem

Idem etiam ſignificatum eſt in eo, quod Magi poſt adoratum puerum Saluatorem acceperum reſponſum in ſomnis, ne redirent ad Herodem, & per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. [E] Nam (vt notat S. Chryſoſtomus [F]) iam non ſtella eos, ſed Angelus ſuſcipit: Quia ſcilicet adorando facti fuerant ſacerdotes cum ſupplicatione etiam muneribus oblatis.

E Math. 2. v. 12.

F S. Ioann. Chryſ. in Mat. hom. 7.

Nec mirum videri debet quod ſacerdotalis dignitas regiæ præponenda ſit, cum illa etiam præferatur propheticæ, quæ & regiæ præeſt. Quoniam Nathan propheta (vt Regum habet hiſtoria [G]) palam, publiceque (vt verbis S. Gelaſij vtamur [H]) in facie Regi Dauid commiſſum pronuntiauit errorem, & ipſum commiſiſſe non tacuit, atq; confeſſione correctum conſequenter abſoluit. Quod ſi prophetæ Regibus præcedunt, & eis præſunt; multo magis ſacerdotes Regibus præferendi ſunt, cum etiam prophetis ſacerdotes præferantur. Nam Rex Ozias (inquit textus ſacer [I]) exquiſiuit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis, & videntis Deum. Et [ſecundum gloſſam interlinearẽ ibi] intelligens appellatus eſt propter ſacerdotium, videns autem, propter prophetiam. Ergo quantum intellectus præſtat viſui, tantum ſacerdotium prophetiæ.

G 2. Reg 12.

H S. Gelaſiu. Pap. 1. epiſt. 13.

I 2. Paralſi. 26. v 5.

Recte igitur S. Ioann. Chryſoſtomus ait: [L] Sacerdo-

L S. Ioann. Chryſ. in Iſ. hom. 5.

cerdo-

cerdotium Principatus est ipso etiam regno venerabilius, ac maius. Ne mihi narres purpuram, neq̃ diadema, neque vestes aureas; vmbræ sunt isthæc omnia, vernisque flosculis leuiora. Omnis enim [inquit [M]]gloria flos graminis, etiam si ipsam gloriam regalem dixeris. Ne, inquam, mihi narres ista; sed, si vis videre discrimen quantum absit Rex á sacerdote, expende modum potestatis vtrique trãditæ, & videbis sacerdotem multo sublimius Rege sedentem. Admirandus videtur thronus regius; sed rerum terrenarum administrationem sortitus est: Sacerdotis thronus in cœlis colocatus de cœlestibus negotijs habet pronuntiandi auctoritatẽ, cum sacerdotium à supernis descendat, eiusq́ vinculum animam contingat, atque ad cœlos vsque peruadat. Quis hæc dicit? Ipse cœlorũ Rex: Quodcumque ligaueritis super terram, &c. Quid cum hoc honore conferri possit? á terra iudicandi principalem auctoritatem sumit cœlum.

M Isai. 40. v. 6.

Et alibi in eoden sensu dixit: [N] Alij sunt termini regni; alij sacerdotij; sed hoc illo maius est. Neque enim ex gemmis, & auro æstimari debet ille, quæ sunt in terris sortitus est; sacerdotij ius à supernis descendit: Regi, quæ hìc, commissa sunt; sacerdoti animæ: maior hic principatus.

N S. Io. Chry sost. in Is. hom. 4.

Et alibi: [O] Sacerdotium tanto quidem est regno excellentius, quantum spiritus, & carnis interualum esse potest. Et

O S. Ioann. Chrys. de sacer lib. 3. in prin.

Et alibi [vt ſupra diximus][P] Deus ipſum regale caput ſacerdotis manibus ſubijcit, nos eo erudiẽs, quod hic princeps eſt illo maior, ſiquidem quod minus eſt, benedictionem accipit ab eo, quod pręſtantius eſt.

P S. Ioann. Chryſ. de verb. ſig. homil 5.

Præterea Regibus non ſolum ſacerdotes, ſed etiam diaconi præponuntur in eccleſia, iuxta doctrinam S. Clementis dicentis: [Q] Similis eſt ſtatus omnis eccleſiæ magnæ naui, quæ per vndoſum pelagus diuerſis é locis, & regionibus viros portat ad vnam potentis regni vrbem properare cupientes. Sit ergo nauis huius Dominus ipſe Omnipotens Deus; Gubernator veró ſit Chriſtus; tum deinde proretæ officium Epiſcopus impleat, Preſbyteri nautarum; Diaconi diſpenſatorum locum teneant; hi, qui cathechizant, nautologis comparentur; Epibatis autem (hoc eſt laicis) totius fraternitatis multitudo ſimilis ſit.

Q Clem. Pa. 1. in epiſt. 1. ad Iac. frat. Dñi. §. ſiqui ex frat. col. 2.

Apertius autem S. Ignatius martyr, [R] non ſolũ poſt Epiſcopos, & ſacerdotes, verùm poſt diaconos Regibus in eccleſia locum aſſignat, dicens: Omnia veſtra decenti ordine perficiantur in Chriſto. Laici (ex quorum numero ſunt etiam Reges Chriſtianiſſimi) diaconis ſubijciantur; diaconi preſbyteris, presbyteri Epiſcopo; Epiſcopus Chriſto, vt ipſe Patri. Et S. Ioannes Chryſoſtomus eundem poſt diaconos locum regibus aſſignaſſe videtur

R S. Ignat. epiſt. 10. ad Smyr.

quando eosdem diaconos, de indignè accedentibus ad mysteria, sic admonet: [s] Si dux igitur quispiam, si qui diademate ornatur, indignè accedat, cohibe, coerce; maiorem tu illo potestatem habes.

[s] S. Ioann. Chrysost. in Math. hom. 33.

Ex supradictis infertur (sicut S. Ignatius martyr ait [T]) Sacerdotium esse apicem omnium bonorũ, quæ in hominibus constant. Immo sacerdotes Angelis comparantur ex auctoritatibus supra relatis Malachiæ dicentis de sacerdote: [V] Quoniam Angelus Domini exercituum est. Et S. Ioannis Chrysostomi dicentis: [X] Nescis quid sit sacerdos? Angelus quippe Domini est. Non enim ex se ipso loquitur. Et alibi dicit: Quod Spiritus Sanctus sacerdotes adhuc manentes in carne ministerio fungi præstitit Angelorum. Et comprobatur auctoritate S. Hieronymi dicentis: [Y] Angelus sacerdos Dei verissimè dicitur, quia Dei, & hominum sequester est, eiusque ad populum anuntiat volũtatem. Et idem docet S. Gregorius [Z] dicens, quod in diuinis eloquijs sacerdotes aliquando Angeli vocantur; nam Propheta ait: Quoniam Angelus Domini exercituum est. Item Apostolus [A] præcipit mulieribus: Vt in ecclesia caput operiant propter Angelos, id est (interprete Diuo Anselmo) propter sacerdotes diuinæ voluntatis nuntios. Et subscribit Diuus Thomas dicens: Propter angelos, id est, propter sacerdotes, seu propter eorũ cautelã. [B]

[T] S. Ignat. epist. 10. ad Smyr.

[V] Malac. 2. v. 7.

[X] S. Ioann. Chrys. in 2. Timot. homil. 2.

[Y] S. Hier. in Malac. 2. v. 7.

[Z] S. Gregor. lib. 4. epist. 31.

[A] 1. Cor. 11. v. 11.

[B] Mendoza in 1. Reg. 2. v. 17. annot. 19. circa lit. sect. 1. n. 11.

Et

Et S. Gregorius Nazianzenus dicit: [C] Non tibi honoris expers videatur hoc sacerdotium, quod ipsi quoque angeli purissimi Dei cultores venerátur tanquam ipsorum cultui minime impar.

C S. Gregor Naz orat. 12. ad ciues.

Sed iam parum videtur sacerdotes angelis comparare, cúm S. Paulus eos prætulisse visus sit, cùm dixit: [D] Licet angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Vbi S. Ioannes Chrysostomus ait: [E] Non temere dixit de cœlo, quoniam sacerdotes quoq́ dicti sunt angeli, neque de his angelis nunc verba fieri, addita particula, de cœlo, supernas virtutes indicauit, cuius rei ratio esse potest, ne videretur sacerdotes velle anathemate ferire, & sic plus reuerentiæ eis, quám angelis exhibuisse.

D Galat. 1. v. 8.

E S. Chrys. in Ephes. 3. hom. 7.

Item in tradenda notitia Dei sacerdotes angelis præponi visi sunt. Nam angelus, & exercitus militiæ cœlestis gaudium magnũ natiuitatis Christi euangelizarunt solummodo pastoribus, id est Iudæis. [F] At sacerdotes missi sunt ad prædicandũ illis, & gentibus euangelium, dicente Dño Saluatore: [G] Prædicate euangelium omni creaturæ. Ergo quanto ecclesia vniuersalis præfertur Iudaicæ Synagogæ, tanto in euangelizandi ministerio sacerdotes angelis videntur prælati. Vnde cum Apostolus dixerit: [H] Mihi omium Sanctorum minimo data est gratia hæc in gentibus euangeli-

F Marc. 16. v. 15.

G Lucæ 2. v. 10.

H Ephes. 3. v. 7.

zare inueſtigabiles diuitias Chriſti; ex hoc præfatam ſacerdotum prærogatiuam infert S. Ioannes Chryſoſtomus dicens: Paulus ad gentes miſſus eſt; Angeli vero ad circunciſionem. Et paulo poſt: Qui maiorũ fit euangeliſta, hoc ipſo magnus eſt.

Item Angeli more famulantium dicuntur ſtare coram Deo iuxta illud Iſaiæ: [I] Seraphim ſtabant; & illud Danielis: [L] Millia aſſiſtebant ei; & illud Tobiæ: [M] Angelus vnus ex ſeptẽ, qui ſtamus ante Dominum. Sed, ſecundum Lucam, [N] apoſtoli, vt ſacerdotes edunt, & bibunt ſuper menſam Chriſti in regno ſuo (id eſt in præſentis temporis eccleſia) & ſedebunt ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et (ſecundum Mattheum [O]) ſedebunt etiam cum Chriſto Domino ſedente, ipſe enim dixit eis: Cum ſederit filius hominis, ſedebitis & vos, &c. Et non tantum duodecim tribus Iſrael, ſed etiam Angelos iudicabunt, iuxta illud Apoſtoli: [P] Neſcitis quoniam angelos iudicabimus?

I Iſ.6.v.2.
L Danie. 7. v.20.
M Tob.12.v.15.
N Luc.22.v.29. & v.30.
O Mat.19.v.28.
P 1.Cor. 6. v.3.

Hinc tandem dignitas ſacerdotum (iam cum S. Papa Gregorio [Q] loquamur, quod & á B. Nicolao Papa [R] didicimus) adeo ſupereminet, vt in diuinis eloquijs ſacerdotes aliquando Dij vocentur. Nam & per Moyſen, de eo, qui ad iuramentum ducendus eſt, dicitur: [S] Applica illum ad Deos, videlicet, ad ſacerdotes. Et rurſum, ſcriptum [T] eſt: Dijs nõ detrahes, ſcilicet (iuxta interlinearem) ſacerdo-

Q S.Gre.lib.4.epiſ.31.
R B.Nicol. Pap.1. epiſt.8.
S Exo. 22. v.8.
T Exo. 22. v.28.

cerdotibus, & ecclesiæ Doctoribus, qui populo principantur. Vbi etiam Innocentius Papa 3.[r] Sacerdotes intelligit, qui per excellentiam ordinis, & officij dignitatem Deorum nomine nuncupantur. Cum enim omnis detractio sit pernitiosa, in sacerdotes est pernitiosior, & hic certum est agi de honoris detractione, & hæc non minus facto quàm verbo fit, & qui detrahit honori superioris, non solum ei, sed etiam sibi nocere dicit ibi Lyra, quoniam si maledixeris Principi populi tui, maledices vtique tibi ipsi, cum ille sit caput, cuius tu pars es.

[r] Innoc. 3. in Ex. 22. v. 28.

Tanta igitur dignitate attenta æquum fuit in lege, & dignius est in euangelio sacerdotes eo honore prosequi, qui eorum dignitati par sit. Vnde S. Fabianus Papa, & martyr sic docet:[x] Sacerdotes honorandi sunt, non lacerandi, & exprobrãdi. Legitur enim in Ecclesiastico:[y] In tota anima tua time Deum, & sacerdotes eius sanctifica. In tota virtute tua dilige eum, qui te fecit, & ministros eius non derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes. Hactenus S. Fabianus. Sed nota quod ibi glossa ordinaria dixit: Timorem Dei, & amorem se ostendit habere, qui honorificat, & timet ministros eius.

[x] S. Fab. epist. 2. ad fin.

[y] Eccli. 7. v. 31.

Item in eodem ecclesiastico legitur:[z] Presbytero humilia animam tuam, & magnato humilia caput

[z] Eccli. 4. v. 7.

tuum.

tuum. In quibus verbis satis exprimitur quanto maior, & affectuosior reuerentia sit exhibenda presbyteris, quam magnatibus. Quod etiã innuit, vel potius declarat Apostolus dicendo: [A] Presbyteri duplici honore digni babeantur.

A 1. Tim 5. v. 17.

In lege etiam præceptum [B] est, quod Potifex, id est, sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet. Si tanta (inquit Mendoza [C]) olim erat dignitas sacerdotalis, vt ab illo reuerentia nemini, & ab omnibus illi præstaretur: quid modo dicendũ, vbi sacerdotalis dignitas illi veteri nõ minus, quàm lux vmbræ antecedit?

B Leuit. 21. v. 10.

C Mendoza in 1. Reg. 2. v. 27. anno. 19. circ. lit. sect. 2. n. 12.

Item decretum erat in lege, [D] vt qui superbierit nolens obedire imperio sacerdotis moriatur. Quod glossa ordinaria intelligit de ijs, quos vicarios Christus sibi substituit, dicens: Qui vos audit me audit, & qui vos spernit, me spernit. Et declarans, quod in sacerdotibus despectis, diuinitas despicitur Christi, concludit dicens: Iure ergo damnationis substinet sententiam, qui contemnit diuinitatis potentiam.

D Deut. 17. v. 12.

Ieremias Ierosolimitanæ destructionis hãc causam assignans: Facies (inquit) sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt. Vbi glossa inter-

interlineari, ibi, sacerdotum, dicit: Quorum dignitas est reuerenda. Quasi dicat: Non sic fecerunt, immo Deum in suis sacerdotibus contempserunt, neque eum in eis reueriti sunt; ideo diuisi sunt à facie Dñi, quia per orbem dispersi sunt. Et glossa ordinaria ibi in verbo, neque senum, interpretatur de Prælatis, & notat quâm terribile sit sacerdotes contemnere, neque facies eorum erubescere; de his enim ait Dominus: Qui vos spernit, me spernit.

Et cùm Saul Rex emissarijs suis, qui circumstabant eum, dixisset: Conuertimini, & interficite sacerdotes Domini, noluerunt serui Regis extendere manus suas in eos, sicut Regũ narrat historia.[E] Quia, sicut notat Iosephus,[F] non præsumpserunt contingere sacerdotes, sed diuinitatem formidarunt, potius quám Regi parere vellent. Vnde S. Theodoretus ait: [G] Digni laude satellites Saulis, neque enim, cúm Rex iussisset, tolerarunt inquinare manus cæde sacerdotum.

Dauid quoq; cùm Saulem apprehendisset præuaricatorem (vt ait S. Ioannes Chrysostomus [H]) & spirantem homicidium, & multis pœnis dignum non solum eius vitæ pepercit, sed neque, vt verbum asperum in eum iaceretur, sustinuit, causamq; ponens dicit: Christus Domini est. Saulem itaque Dauid venerabatur (vt ait Lyra [I]) licet sciret eum esse malum, & à Deo reprobatum. Dicebat enim viris

E 1. Reg. 22. v. 17.

F Ioseph. antiq. lib. 6. cap. 13.

G S. Theod. in 1. Reg. q. 53.

H S. Ioann. Chrys. in illud Pauli Roman. 16. salutate Priscã col. 8.

I Lyr. in Math. 23. verbo omnia ergo.

L 1.Reg.24. v. 7. viris sibi necem Saulis suadentibus: [L] Propitius sit mihi Dn̄s ne faciam hanc rem Dn̄o meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum: quoniam Christus Domini est. Hæc enim meditando intra se dicebat:(vt introducit S. Chrysostomus [M])

M S. Ioann. Chr. apud gloss. ordi. ibi.

Christus Domini est, non ab humano honore, sed à cœlesti iudicio honorifico sumpto testimonio. Contemnis conseruum tuum, sed reuerere Dominū. Aspernaris electum, metue eum, qui illum elegit.

Probatur quoque ex euangelio sacerdotes, etiā malos, esse à populo reuerendos. Et inprimis notatu dignum putamus ad hoc, quod natus Saluator mundi ad vocationem pastorum, & Magorum (in quibus populus Hebræus scilicet, & gentilis significabatur) Angelum, [N] & stellam [O] respectiue misit; Attamen ad vocationem sacerdotalis ordinis parū uisum fuit Angelum, aut stellam mittere; sed specialis prerogatiuę, præcipuiq; honoris causa, ipse præsentatus est in templo, vt eum Simeon iustus omnium nostrum sacerdotum nomine in vlnis acciperet.

N Luc. 2. v. 10.

O Mat. 2. v. 2.

Secundo, quia Saluator Dominus ad turbas, & discipulos suos sic alloquutus est: [P] Super cathedram Moysi sederunt scribæ, & Pharisæi: omnia ergo, quęcunque dixerint vobis seruate, & facite, secundum opera vero eorum nolite facere. Quod expli-

P Mat. 23. v. 3.

explicant omnes, & ſpecialiter ibi Lyra de Prælatis etiam malis, quia ſunt habendi in honore quãdiu tolerantur in officio ſuo.

Tertio, quia [Q] leproſo mundato Chriſtus iniunxit dicens: Vade oſtende te ſacerdoti. Quod fecit (vt dicit ibi Lyra) vt ſacerdotibus deferret honorem. Licet eos ſciebat tunc temporis eſſe peſſimos. Et ob id etiam alibi [R] iuſiſſe legimus decem leproſis mundandis: Ite, & oſtendite vos ſacerdotibus.

[Q] Math. 8. v. 4.

[R] Luc. 17. v. 14.

Quarto, quia licet Iudas Iſchariotes erat peccator, fur, & proditor, ita vt eum Dominus diabolum vocauerit, [S] nihilominus eum adeó honorauit, quod poteſtatẽ ei dederit ſuper omnia dæmonia, [T] & vt languores curaret: quia ante faciem ſuam erat mittendus, vt prædicaret, & baptizaret, & tandem ſacerdos, & Epiſcopus erat euaſurus. Et ideo Sanctus Thomas dicit: [V] Quod prælati non honorantur propter excellẽtiam propriæ virtutis, ſed propter excellentiam dignitatis, ſecundum quam ſunt Dei miniſtri, & in eis etiam honoratur tota communitas, cui præſunt.

[S] Ioan. 6. v. 71.

[T] Luc. 9. v. 1.

[V] S. Tho. 2. 2. q. 103. ar. 2. ad 2.

Quinto, quia etiam ipſe Dominus Saluator in paſſione ſua ab alijs perſequentium calumnijs nõ legitur ſe excuſaſſe, niſi quando vnus aſſiſtens miniſtrorum alapam ipſi impegit dicens: [X] Sic reſpondes pontifici? Quia cum iniuria facta ſacerdoti

[X] Ioa. 18. v. 23.

cedat in ipſum Deum, qui illum aſſumpſit, non eſt Saluator paſſus ſibi imponi tantum nefas; quamobrem reſpōdit ſe percutienti: ſi male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, cur me cædis?

Sexto. Simile notat S. Ioannes Chryſoſtomus [r] de Paulo; cùm enim (inquit) Principem Iudæorum notaſſet, ac dixiſſet: [z] Percutiat te Deus paries dealbate, & tu iudicans me ſedes? poſtquam autem alios audiuit ſibi reſiſtentes, & dicentes: Pontificē Dei conuicijs inceſſis? monſtrare volens quantum oportet ſacerdotibus Dei exhibere honorem, & reuerentiam; Neſciebam (inquit) quod Pontifex eſſet.

[r] S. Ioann. Chryſ. in illud Apoſt. Rom. 16. ſalutate Priſcā. col. 8.

[z] Act. 23. v. 3.

Probatur etiam exemplis catholicorum, & illo[a] in primis S. Martini ab Imperatore Maximo mēſa excepti. Nam cùm ad medium fere conuiuij pateram Regi miniſter obtuliſſet, Rex ſancto Epiſcopo potiùs potum dari iuſſit, expectans, atq; ambiens, vt ab Epiſcopi dextera poculum ipſe ſumeret. At Martinus vbi bibit, pateram presbytero ſuo tradidit, nullum ſcilicet exiſtimans digniorem, qui poſt ſe biberet, nec integrum ſibi fore, ſi aut Regē ipſum, aut eos, qui á Rege erant proximi, presbytero prætuliſſet. Quod factum Imperator, omneſq; qui tunc aderant, ita admirati ſunt, vt hoc ipſum eis, in quo contempti fuerant, placeret.

[a] Sulpit. in vita S. Martini.

Et

Et idem probatur ethnicorum exemplis, quæ breuitatis causa omittẽda duximus, sed videri possunt (scilicet) apud Baronium anno 57. à num. 34. cum sequentibus, & Marcũ Tullium lib. 2. de legibus, & Pierium in Hieroglyph. lib. 20. c. de notit. & Strabonem geographiæ lib. 17. apud Alex. ab Alex. lib. 2. c. 8. & Diodorum Siculum, de fabulis antiq. lib. 4. & Elianum de var. histor. lib. 14. c. 34. & Cornelium Tacitum lib. de moribus German. & Iosephum, de antiquit. lib. 14. c. 26. & lib. 11. c. 8. & Cæsarem de bello Gallico, lib. 6. & Cassaneum in cathal. glor. mund. p. 4. S. August. de ciuitate Dei; lib. 18. c. 45. S. Bonauent. de ecclesiast. hyerarch. c. de principatu, Illescas lib. 2. in S. Leone 2. c. 14.

Sed Gentium his, & alijs ductus exemplis S. Chrysostomus dicebat: [B] Ne simus deteriores infidelibus, qui propter idolorum errorem, adhuc tãtum cultum exhibent illorum famulis. Sed quantũ distant error, & veritas, tantum distant illorum, & Dei sacerdotes.

[B] S. Io. Chry. hom. 65. in gen.

Item probatur, quoniam S. Nicolaus Papa 1. Michaeli Imperatori ita rescripsit: [C] Quid mirum si Christianus Imperator veri Dei sacerdotes honoret, dum pagani Principes honorem impendere sacerdotibus nouerunt, qui Dijs ligneis, & lapideis seruiebant? Hæc non tantum specialiter, quan-

[C] Nicol. Pa. 1. epist. 8.

tum generaliter pro omnibus afferimus facerdotibus.

Secundo. Concilium quoque Moguntinum Ludouico Regi ita refcripsit: [D] Inhoneftum eft, vt hoc, quod non folum christianis temporibus ab Imperatoribus chriftianis, fed etiam á paganis Regibus tempore gentilitatis ad honorem Dei collatum eft, veftris temporibus in veftro Regno permutetur.

D Cōc Mog. ann. 847. in præf.

Et concilium Aquifgranenfe [E] animaduertens (vt refert Baronius) mala quamplurima in Regnū Francorum prouenisse fpecialiter, quia principalis poteftas diuerfis occafionibus interuenientibus, fecus quàm auctoritas diuina fe habet, in caufas ecclefiafticas profiluerit; petijt humiliter à Ludouico Imperatore; vt per eum filij, & proceres eius nomen, poteftatem, vigorem, & dignitatem facerdotalem agnofcerent. Et ad hoc inter alia ad memoriam eius reducit, qualiter B. Profper [F] laudem facerdotum comprehenderit his verbis: Ipfis facerdotibus proprie animarum curandarum folicitudo commiffa eft, qui pondus populi fibi commiffi viriliter fuftinentes pro peccatis omnium, veluti pro fuis infatigabiliter fupplicant Deo, ac velut Aaron incenfum contriti cordis, & humiliati fpiritus offerentes, quo placatur Deus auertunt irā futuræ animaduerfionis à populo. Hi per Dei gratiam

E Conc. Aquifg. ann. 836. vbi de reg. agitur c. 5.

F B. Profpe. de contēplat. lib. 2. c. 2.

tiam fiunt diuinæ voluntatis iudices; ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores; fideles populi duces; veritatis assertores; prauæ doctrinæ hostes; omnibus bonis amabiles: & male sibi conscijs etiam ipso visu terribiles; vindices oppresorum; patres in fide catholica regeneratorum, prædicatores cœlestium præmiorum; exempla bonorum operũ; documenta virtutum; & forma fidelium. Ipsi sunt ecclesiæ decus, in quibus amplius fulget ecclesia. Ipsi sunt columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium. Ipsi ianuæ ciuitatis æternæ, per quas omnes, qui credunt, ingrediuntur ad Christum. Ipsi ianitores, quibus claues datæ sunt Regni cœlorum. Ipsi etiã dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni diuiduntur gradus, & officia singulorum. Licet enim sanctis præcedentibus sacerdotibus vita, & meritis longe inferiores simus; idẽ tamen sacrum ministerium, quod indigné suscepimus non minoris auctoritatis, & dignitatis exisstit; & quamquam ministerio tanto indigni simus, propter illum tamen, cuius ministerium gerimus, in nobis non est contemnendum.

His peroratis, nihil amplius dicendum restare videtur, nisi quod ait Plautus: [G] Quis est homo tanta confidentia, qui sacerdotem audeat violare? (G Plautus in rudente, act. 3. scæna 2.)

Hactenus egimus in summa de sacerdotum

præ-

prærogatiuis, quarum æstimatio eas iusté perpendentibus satis, superque esset ad pristinam reuerẽtiam episcopis conciliandam, quanto magis ad solitam exhiberi non detrahendam, hac dumtaxat adhibita consideratione, quod quando episcopi ex presbyteris assumuntur, nihil amittunt honoris debiti presbyteris, cum & ipsi nihilominus presbyteri perseuerent.

Verumtamen si omnia supra breuiter de presbyteris notata (vt in iure dicitur [H]) sunt præcauẽda; quanto magis de episcopis? Si cunctis generaliter sacerdotibus (vt verbis loquar S. Gelatij Papæ [I]) fidelium conuenit corda submitti; quanto potius episcopis? qui (iuxta definitionem Synodi Tridentinæ [L]) sunt presbyteris superiores? Cuius rei significandę gratia sępe in iure episcopi vocantur summi sacerdotes, [M] ad distinctionem aliorũ simplicium sacerdotum, quibus (vt supra diximus) competit offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare, vt in ordinatione eorum præmittitur, quia vltra hæc, episcopis alia competunt, qualia sunt iudicare, interpretari, consecrare, ordinare, & confirmare, vt in eorum consecratione prænuntiatur. [N]

Et in iure hæc etiã expressa sunt, quæ ad solos episcopos pertinẽt, basilicarũ scilicet consecratio, & confectio chrismatis. [O] Item presbyterorum, &

H c. accusatio, el z. 2. q. 7.

I S. Gelat. Papa 1. epist. 8.

L Cõc. Tri. sess. 23. c. 4. & can. 7.

M c. maius, consecra. dist. 5. c. 1. §. per frontis, de sac. vnct. c. fi. 3. q. 1. late Baroni. in martyr. die 9. Apr. ann. 397 n. 61.

N lib. Pont. tit. de consecr. electi in epis.

O c. 1. §. ad Epũm. 25. dist.

diaco-

diaconorum, aut virginum consecratio; constitutio altaris, ac benedictio, vel vnctio, erectio, vel consecratio, & per impositionem manuum fidelibus baptizatis, vel conuersis hæreticis Paracletum Spiritum tradere, & chrismate baptizatorum frontes signare; & publicè in missa quenquam pœnitentem reconciliare. Hæc autem omnia illicita sunt presbyteris, quoniam pontificatus apicem nō habent.[P]

Item ad episcopos solos pertinet etiam omnes alios clericos ordinare [Q] (licet etiam Abbates benedicti possint ex priuilegio clericos minores, sed non maiores facere [R]) Item pontifices consecrare, degradandos deponere, [S] Synodos celebrare,[T] & benedictionem solemnem [V] ante pacem dare. Possunt & alia plurima, quæ presbyteris non licet, quorum texere seriem esset molestum.

Et non solum vocantur episcopi summi sacerdotes, sed etiam summi pontifices, [X] eo quod vltra episcopos in ecclesia nullus est ordo. Nam episcopatus est maior ordo alijs omnibus, qui sunt in ecclesia Christi. Quamobrem Papa se vocat Episcopum,[Y] & episcopos appellat venerabiles fratres, quasi sibi æquales; cæteros vero etiam reges, principes, vel alios cuiuscunq; ordinis, vocat dumtaxat filios dilectos,[Z] quasi inferioris gradus.

Hinc B. Nicolaus Papa 1.[A] Episcopos asserit gradu

P c. quáuis, 68 dist.

Q Con. Tri. sess. 23. de sacr. ord. can. 7.

R c. cum cō tingat, vbi canonistæ de ætate, & qual.

S c. Episcopi, 24. d. c. 1. & c. porro, 66. d. c. si Archiepiscop cū seqq. de temp. ord.

T c. Epūs. 18 d. cum citat. á Botteo de syno. p. 1. n. 19.

V vt habetur in fin. ceremon. Rom.

X c. de his, de cōsecr. d. 5.

Y Gloss. ver. Episcopus in proem. Sexti, & glos. verb. de episcopis, in c. quia peri-

culosum, de sente. excom. in 6.

Z c. quã gra ni, de crim. fals.

A B Nicol. ep. 42, §. sed dicitis.

gradu esse præcipuos, & in ecclesia Christi sublimiores, & hoc subiectis elogijs cõfirmat. Ipsi quippe (inquit) primi sunt in ecclesia; ipsi arundinem tenentes metiuntur Sanctam Ierusalem; ipsi fabricæ Dei præsunt; ipsi speculatores ciuitatis Dei sunt; ipsi arietes, ipsi pastores gregis Domini; ipsi columnæ domus summi Regis existunt.

Libeat (quæsumus) per hæc elogia aliquantulũ, vel leuissimo pede spatiari.

B 1. Cor. 12. v. 28.

C c. in nouo 21. dist. c. quorũ, 68. dist.

D Con. Tri. sess. 24. c. 1. de reform.

Et in primis; primos esse episcopos in ecclesia affirmat Beatissimus Papa, etenim (secundum Apostolum [B]) posuit Deus in ecclesia primùm Apostolos, primúm dicit (secundum interlinearem ibi) dignitate, & tempore omnium ordinatores, & iudices, & ita (secundum S. Chrysostomum ibidem) eos prælocauit. Et cum Apostolorum locum teneant episcopi; [C] ideo Tridentina Synodus [D] actura de eorum electione hæc verba præmissit: Si in quibuslibet ecclesiæ gradibus prouidẽter, scienterque curandum est, vt in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum; multo magis elaborandum est, vt in electione eius, qui super omnes gradus constituitur, non erretur. Ecce, ex sententia concilij; episcopi super omnes gradus constituuntur, & ideo prima eis sedes in ecclesia debetur, & altitudo sedis inter sedes dignitatũ arguit, & probat maioritatem dignitatis; quia ma-

iores

iores altiori loco ſedere debent.[E] Et epiſcopis competit omnium rerum gerẽdarum auctoritas,[F] & qui habet iuriſdictionẽ ampliorem dicitur dignior, & maior,[G] ita vt cum vnuſquiſque aliorum præcellat in ſingulis, ipſi epiſcopi ſunt præordinatores in cunctis (vt in iure cautum[H] eſt) & propterea epiſcopatus (in iure[I]) culmẽ dicitur, & faſtigium dignitatum. Et ſub appellatione ſacerdotij (ſecundum S. Ignatium martyrem[L]) apex eſt omnium bonorum, quæ in hominibus conſtant.

Quorſum (rogamus) tendunt, qui primis in eccleſia, & ſuper omnes gradus conſtitutis, & primã ſedem, & rerum omnium gerẽdarum auctoritatem habentibus, præordinatoribusque in cunctis, conantur ſe contra morem præferri, atque faſtigium dignitatum, & culmen, apicemque omnium bonorum ſibi poſtponi? aut certe cunctus eccleſiaſticus ordo deficiet, vel ſaltim nutabit, aut intra eccleſiam id fieri nequibit. Et qui vltra, & ſupra ſupremum culmen dignitatum eccleſiæ collocari appetit, extra eccleſiam ſe eſſe velle videtur.

Et ſecundo loco B. Nicolaus ſubiunxit: Ipſi (id eſt epiſcopi) arundinem tenentes metiuntur Sanctam Ieruſalem. Et ad intelligentiam huius ſentẽtiæ meminiſſe oportet illius viri, qui apud Ezechielem[M] funiculo lineo, & calamo menſuræ ſanctã ciuitatem metire iuſſus fuit, atque etiam in Apocalyp-

E Bald. cõſ. 287. lib. 1.
F Conſ. Tri. ſeſſ. 25. c. 6. de ref.
G Bald. cõſ. 387. lib. 1. in prin.
H c. 1. §. ad Epũ. 25. d.
I c. ordinatos, 59. d. c. venerabiles de præb. xã. gloſſ. ver. digeitatſt in c. 2. de prẽb. in 6.
L S. Ignat. epiſt. ad Smyrn.

N Apoca.11. a v.1. calypsi [N] Ioannem Apostolum dixisse: Et datus est mihi calamus similis virgæ, & dictum est mihi: Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorãtes in eo: atrium autem, quod est foris templum, eijce foras, & ne metiaris illud. Et hinc (ex argumento Innocentij 3.[O]) potest prærogatiua episcopalis dignitatis intelligi, eoquod non Regi, sed Ezechieli sacerdoti, & Ioanni Apostolo verbum hoc ciuitatem, & templum metiendi factum est; & ita in proposita similitudine cuique episcoporum recte dicitur: Surge; id est (iuxta glossam interlinearem) erigere ad prædicandum, & metire templum Dei; id est (iuxta glossam ordinariam) secundum capacitatem vniuscuiusque prædica; & ideo (ait ibi Lyra) hoc verbum est S. Felicis Papæ ad quẽlibet episcopum pro dedicatione templi. Et Ricardus ibi, per templum infirmiores, & per altare sanctiores significari docet; & adorantes in eo metiri iubet, vt scilicet (iuxta interlinearem) constituat episcopus qualiter ibi adorent. Atrium autem, id est (iuxta glossam ordinariam) falsos christianos, qui se ecclesiam simulant, sed factis abnegãt, quod est foris templum; id est (iuxta eamdem glossam) qui non comprehenduntur sub mensura calami, quia non subduntur verbo Dei, eijce foras [iuxta interlinearem] excommunicando.

O arg. ex c. solitæ de maior. & obe.

Ergo episcopi erigendi, non deprimendi, vel

subi-

ſubigendi ſunt ad prædicandum, & ad eos non ad alios ſpectat conſtituere qualiter cultus Dei peragi debeat,& ipſi habent excommunicare eos qui non ſubduntur verbo Dei; nō autem ad alios pertinere poteſt epiſcopos foras templum eijcere, & quaſi excommunicare ſubtrahendo eis debitā & ſolitam reuerentiam,vel detrahi mandando.

Tertio loco dixit B.Nicolaus Papa: Ipſi [ſcilicet epiſcopi]fabricæ Dei præſunt. Fabrica autem hæc eſt illius ædificatio templi,de quo interrogat Apoſtolus. [P] Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Siquis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt,quod eſtis vos.Et alibi:[Q] In quo[id eſt in ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu]omnis ædificatio conſtructa creſcit in tēplum ſanctum in Domino,in quo & vos coædificamini habitaculum Dei in ſpiritu. Huic ergo templi myſticę ędificationi ſpirituali præſunt epiſcopi, id eſt ſuperintendunt,ſicut ipſa vox epiſcopatus aperte denotat. Nam [ſecundum Sanctos Auguſtinum,& Iſidorum relatos in iure [R]] inde epiſcopatus dicitur,quod ille qui dicitur epiſcopus ſuper efficiatur,& ſuperintendat curam gerens ſubditorum.

Quarto. Ex eadem epiſcopatus ethymologia videtur S.Nicolaus Papa ſtatim adieciſſe ſupra relata

P 1.Cor.3.v.16.

Q Eph. 2.v. 21.

R S.Aug. dē ciuit.Dei, lib. 19 c. 19. & ex tx.in c.qui epiſcopatū 8. q 1. & S.Iſi.orig. lib.7.c.12. & ex tx.in c.cleros. § epiſcopatus.21.d.

lata

lata verba, ſcilicet: Ipſi (id eſt epiſcopi) ſpeculatores ciuitatis Dei ſunt. Nam [ſecũdum eoſdem ſanctos Auguſtinum, & Iſidorum [s]] epiſcopi græce, latine ſpeculatores interpretantur: Nam epiſcopus ſpeculator eſt, præpoſitus in eccleſia, dictus eo quod ſpeculetur, atque proſpiciat populorum infra ſe poſitorum mores, & vitam. Vel (ſecundum Sanctum Ambroſium [T]) Epiſcopus dicitur ſuper inſpector; & ideo (inquit idem Sanctus) in eccleſię ſolio editiori reſidere debet. Et item S. Auguſtinus [V] Epiſcopatum appellat locum ſuperiorem, ſine quo regi populus non poteſt. Ergo huius rei gratia in eccleſia locus epiſcopi ſuperior omnibus eſſe debet, & ſupra ſolium eius aliud ſolium erigi non debet permitti. Quia ſi in eccleſia alij in editiori ſolio, vel in ſuperiori loco reſederint, tunc ſolium Epiſcopi deſinet eſſe epiſcopale, quia locus eius non eſſet ſuperior. Deſineretque eſſe ſolium, & locus ſpeculatoris, ſuper ſpecula reſidere debentis, vt ſpeculetur ac proſpiciat infra ſe poſitos; ſed potius incipiet eſſe ſolium, non ſolium, ſed locus infra poſiti, & ſubter aliam ſpeculam exiſtentis, tanquam qui ab alijs ſuperintendentibus, & in ſuperiore ſolio, & loco poſitis ſuperintendi, & ſuper inſpectari, & proſpici debeat: non erit item ſoliũ, & locus ſuperintendentis, ſed inferioris, & ſubditi; neque ſuperinſpectoris, ſed ſuſpicientis, vel potius

[s] S. Aug. & Iſidor. vbi proxime.

[T] S. Ambro. de dignit. ſacerd. c. 6.

[V] S. Au. vbi ſupra.

ſupetinſpecti, & ſuppreſi ab ijs, qui in editiori ſolio, & ſuperiore loco reſederint. Ergo epiſcopus qui in eccleſia ſic ſe demitti, & contemni paſſus fuerit in vacuum habebit Epiſcopi nomen, quod in conſecratione recepit, & indignus eo fiet. Et ex aduerſo ſimiliter quicumq́ Epiſcopum eodem modo ſpernere tentauerit, ipſo facto ſupra ſuum ſpeculatorem, ſuperintēdentem, & ſuperinſpectorem ſe velle ſtare videbitur oſtendere, non vero infra epiſcopum eſſe.

Quinto. Per huiuſmodi ſpeculandi officium cōpetit epiſcopis oculos vocari Chriſti, quatenus (vt ait Lyra [x]) ſunt virtus illa cognitiua, qua reſpicit fideles ſuos eos approbando, iuxta illud ipſius Chriſti dicentis: [y] Ego cognoſco oues meas, quæ oues ſunt chriſtiani.

Et ita S. Pius Papa 1. tranſcriptus in iure [z] dixit Deum epiſcopos ſibi oculos elegiſſe. Et ita Chromatius dixit: [A] Oculo corporis (quod eſt membris omnibus pulchrius, ac precioſius) epiſcopum aduertimus ſignificatum, qui clara fidei, & doctrinæ prędicatione, velut oculus quidam, eccleſiæ corpus illuminat. Vnde in illud Canticorum: [B] Oculi tui ſicut piſcinæ; gloſſa ordinaria intelligit oculos eſſe eos, qui arcana aſpiciunt, vt poſſint in aperto proloqui, & qui fluenta doctrinæ auditoribus nō ceſſant miniſtrare. Quod per prædicationis officium, quod

x Lyr. in Cātic. 7. verbo & vbera tua.

y Ioann. 10. v. 14.

z S. Pius Papa 1. epiſt 1. & tx. in c. oues 6. q. 1.

A Chrōmat. in Matth. 6. f. 435.

B Cantic. 7. v. 4.

C Conc. Tri. sess. 5. c. 2. de ref.

quod est præcipuum episcoporum munus [C] iugiter præstatur ecclesiæ ab episcopis per se, vel per idoneos sui muneris vicarios spiritualia pericula, & gladium superuenientē populo annuntiātibus.

D S. Gre. Nyssen. hom. 7. in cant.

His ita præiactis cum Diuo Gregorio Nysseno [D] interrogamus: Quid inter membra nostra oculis præstantius est? per quos nimirum lucis fit perceptio, quibus & amica, & hostilia agnoscimus, per quos ab alienis nostra decernimus, qui nobis omnium operum magistri sunt, & doctores, expertes omnium errorum itinerum duces. Nonne hæc omnia corporalia per episcopos tamquam Dei oculos spiritualiter fidelibus eueniunt?

Prçterea sine speciali nota non prætermittamus quod ipse Nissenus mox perpēdit: subiūgēs: Quorū (id est oculorum) situs ipse (collocatorum videlicet supra reliquorum sensuum organa) præstantiorem in vita nobis vsum horum esse demonstrat. Et similiter in corpore mystico cuius caput est Christus primum locum post ipsius caput Christum tāquam oculi habent, & habere debent episcopi vt infra sanctorum probabitur grauissimis auctoritatibus.

E Hebr. 13. v. 17.

Sexto. Episcopi ex hac eadem speculandi ratione vocantur Præpositi, eoquod alijs præponantur. Ob id Apostolus [E] ait. Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi ratio-

nem

nem pro animabus vestris reddituri: obedire eis præcipit; non vero imperare in ijs, quæ eos tangunt: Præpositos eos vocat, non postpositos, vel postponendos, ita declarans eos præponi, nõ postponi alijs quibusuis debere. Et hoc specialiter signanter procedere in salutationibus etiam ipse Apostolus expressit inibi paulo inferius dicens: Salutate omnes Præpositos vestros, & omnes sanctos. Primo enim loco salutandos docet Præpositos, scilicet (vt dicit ibi Lyra) Episcopos, qui sunt successores Apostolorum in ecclesia [F] Dei: & deinde docet salutandos esse omnes sanctos, id est (vt ait Lyra) alios ecclesiæ ministros, vel potius [vt ait glossa interlinearis] omnes subditos sanctificatos in baptismate.

F Citat ibi gloss. ord. in Luc 10 & c. innouo 21. d.

Præterea subiacete [inquit] eis. Vbi notandum est, quod sub eis iacere, non supra eos erigi vel extolli præcipit: vt scilicet [secundum interlinearem] reuerentiam eis exhibeant. Ergo [minus dicimus] ne adeo efferantur, vt debitam perpetuo episcopis exhiberi solitam reuerentiam præcipiant auferri, vel saltim minui, vt semetipsos episcopis in salutationibus præferant. Hoc autem reuerentiæ genus procedere à ratione præpositionis, quam habent episcopi, eoquod sint superintendentes, vel superinspectores apertissime demonstrat Apostolus dicens. Ipsi enim peruigilant quasi ratione pro

pro animabus vestris reddituri. Supponit enim illud Ezechielis [G] in ipso ad omnes episcopos dictum. Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel; si dicente me ad impium: Morte morieris, nō annuntiaueris ei; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram, &c. Quasi ad intentum dicat, pro tanto Honore non est cur eis non debeatur honor obedientiæ, & subiectionis, maxime in salutationum præcedentia, quæ iam diu sine vlla contentione, vel dubio præstari fuit solita. Nam cum supra omnes laborent, pro quibus inuigilant [ex doctrina S.Petri [H]] oportet eos omnibus præponi.

[G] Ezech. 3. v. 17. & Ezech. 33. v.7.

[H] S. Petrus apud Sanctum Clemen. Pap. 1. epist. 1. col.2.

Quare ex his rationibus Concilium Moguntinum recte dixit: [I] Congruum visum est, vt sacerdotes iure legitimo inconuulso honorentur, de quibus Dominus ait: [L] Qui vos audit me audit, & qui vos recipit, me recipit; qui autem me recipit, recipit eum, qui me missit. Et Apostolus ad Hebræos: [M] Obedite [inquit] Præpositis vestris, & subiacete eis; ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.

[I] Con. Mogunt. ann. 847. in præf.

[L] Lucæ 10. v.16.

[M] Hebr. 13. v.17.

Hactenus egit Apostolus de reuerentia episcopis præstanda quatenus ipsorum interst ad episcopalis dignitatis honorem: Verumtamen considerans potius interesse dubditorum dixit: Vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: Quasi [se-

cundum

cundum glossam ordinariam) dicat : Obedite, & subiacete, vt quando ipsi Præpositi vos proficere vident, inde cum gaudio vigilent, & non gementes cum tristitia, ex eo quod non prodest vobis cura ipsorum. Hoc enim (ait Apostolus) non expedit vobis, quasi dicat (secundum eandem interlinearem) non dico, non expedit illis, quibus prodest etiam tristari de vobis. Quia in eadem speculatoris metaphora persistendo dicit Dominus per Ezechielem: [N] Si autem tu annuntiaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia: ipse quidem in iniquitate sua morietur: tu autem animam tuam liberasti. Sed dicit quidem studsose: Non expedit vobis. Quod (vt ait ibi Lyra) patet per exemplum Core, & sociorum eius, qui rebellantes Moysi à terra fuerunt absorpti. Vnde aliud Concilium Moguntinum [O] quosdam potentes sæculares clerum compellentes, vt cerimonias pie institutas abrogarent præter consuetudinem, declarauit esse schismaticos, atque cum Core, Dathan, & Abiron, quos terra deglutiuit, æternæ maledictionis obnoxios esse.

N Ezech. 3. v. 19. & Ezech. 33. v. 9.

O Conc. Mogunt. anno 1549. titu. censurę. & decr. pro abusuū emendatio.

Septimo. Ex eadem speculandi in ecclesia ratione Episcopus etiam recte Præsul vocatur [P] á præsiliendo (vt ait Ambrosius Calepinus [Q]) quasi præsultor, id est, qui saltantium choream primus ducit, & omnibus præsilit. At quidem Episcopus

P cap. quod translationē, de tēp. ordin.

Q Calepinus in dictio. hoc verbo

Præſul in eccleſia non erit, vel Præſulis nomine, & merito carebit, qui ſe abijciendo alios vltra ſolium ſibi præſilire, vel ſupra ſe ſaltare, vel choream ducere ſuſtineat.

Octauo. Idem quod de Præſulis nomine modo diximus, nõ minus recte etiã de Antiſtitis appellatione dici poteſt, qua eccleſia Dei frequentiſſime epiſcopum [R] vocat. Nam (vt teſtatur Ambroſius Calepinus [S]) hodie præſulis nomine quemlibet antiſtitem intelligimus. Nomen enim hoc à verbo antiquo, antiſto, pro, anteſto, deriuatum eſt, pro eo quod antiſtes cæteris anteſtet, id eſt excellat, vt primarius templi ſacerdos. Vnde de epiſcopatu agens S. Iſidorus relatus etiam in iure [T] ait: Antiſtes ſacerdos dictus eſt ab eo quod anteſtat: primus eſt enim in ordine eccleſiæ, & ſupra ſe nullum habet.

[R] Durandus in rationali lib. 2. c. 11. n. 5.

[S] Calepinus in dictio. ver. Preſul & ver. Antiſtes.

[T] S. Iſid. orig. lib. 7 c. 12 & tx. ind. c. cleros. §. Antiſte. 21. diſt.

Vnde inferimus primo, quod epiſcopus, qui ſcire debet ſe ex vi ſui nominis debere cęteris anteſtare, id eſt excellere, eo quod ſit primarius templi ſacerdos, id eſt primus in ordine eccleſiæ, ſuſtinere non debet pręter morem ſupra ſe in eccleſia vllum eſſe, vel anteſtare: ne ita retrorſum abiens, ſcilicet á ſublimitate, & excellentia ſui primarij ſolij cadens, ſeu loco ſuo cedens pereat exemplo ſacerdotis Heli, de quo ſupra egimus.

Ad hanc ipſam epiſcopalis præcedentiæ rationem

nem pertinet quod in eodem textu B. Nicolai Papæ subsequitur scilicet: Ipsi(id est episcopi)sunt arietes,ipsi sunt pastores gregis Dominici. Nam arietes vocari episcopos in eum sensum,accipiendum est,in quo dictum est Moysi: [v] Vnum quoq arietem sumes, &c. Vbi glossa interlinearis explicat ita: Arietem,Christum scilicet ducem & pastorem ouium. Ad quod adimplendum dicitur sic de Moyse: [x] Obtulit & arietem in holocaustum , & paulo inferius : Obtulit & arietem secundum , in consecratione sacerdotum. Vbi eadem interlinearis arietem explicat ducem perfectæ conuersationis. Et ibidem glossa ordinaria dicit, quod perfecta cōuersatio, quæ est holocaustum, ideo in ariete offerebatur ; quia hic ducatum præbet ouibus ingredientibus, & egredientibus. Sicut Christus est dux perfectæ conuersationis , & ideo intrare per se, & exire ouibus præcepit. [y] Et centum illos arietes cibum Salomonis per singulos dies, [z] eadem interlinearis interpretatur esse duces christiani gregis, qui cum subditis suis æternam gloriam consequi festinant. Et propterea non semel in iure cautum [A] est, ne episcopus cæcus sit, vt cæco ducatum præbeat, ne simul in foueam ambo cadant.

Et quoniam ad hoc, quod est deducere oues, idem est & arietum , & pastorum officium ; ideo B. Nicolaus Papa simul dixit vtrumque ad episco-

[v] Exodi. 29. v. 15.

[x] Leui. 8. v. 18. & v. 22

[y] Io. 10. v. 9.

[z] 3. Reg. 4. v. 23.

[A] c post trāslationeē, § itē siquis, de renūti. & c. cū sit ars, de eta. & qual.

pos pertinere; videlicet & arietes, & paſtores eſſe gregis Dominici.

Paſtor autem ille, qui natura ſolus eſt paſtor bonus, & qui per arietem holocauſti ſignari non dedignatus eſt, in euangelio nos docuit qualiter ſpirituales paſtores, oueſque ſui gregis nos ad inuicem exhiberi debeamus cum dixit: [B] Paſtor cum propria oues emiſſerit, ante eas vadit, & oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius. Ergo ſicut epiſcopus, qui, cum oues proprias emittit, ante eas non vadit, officium paſtorale nõ implebit; ita ſubditi, qui epiſcopum ſuum non ſequuntur, neſciunt vocem eius (qualis modo eſt hæc noſtra doctrina ex Sãctorum ſententijs efflorata) & ſecundum ſuæ voluntatis propoſitum non erunt habendi vt propriæ ſui legitimi paſtoris oues. Nam ſi propriȩ vellent eſſe, ipſum ſequerentur, & minime ſe paſtori ſuo anteferri ſuſtinerent. Nam paſtorem vtique (ex verbis S. Gelaſij loquimur [c]) ſequi grex debet ad paſcua ſalutaria reuocantem, nõ per deuia gregem paſtor errantem. Dicite mihi (rogo vos) grex veſter pro vobis, aut vos pro grege reddituri eſtis rationem? Sequitur ergo: Obedite & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.

B Io. 10. v. 4.

c S. Gel. ind epiſt. 8.

Deniq concludit B. Nicolaus Papa dicens: Ipſi (id eſt epiſcopi) columnæ domus ſummi Regis exiſ-

existunt. Et secundum Eusebium Papam,[D] á Deo hoc titulo sunt appellati, & S. Anacletus Papa & martyr,relatus in iure,[E] eos columnas sanctæ Dei ecclesiæ vocat. Et sicut in ædibus aut alijs ædificijs columnæ sunt fundamenta; ita in prouincijs Archiepiscopi,& in ciuitatibus insignioribus Episcopi columnæ,& fundamenta christianæ religionis haberi debent. Et eadem ratione,qua lex prohibet columnas alicuius domus tolli; ita si quis episcopos è loco suo dimouere velit,necesse est cũcta, quæ illi suo robore sustẽtant, corruere,& pessumire.

D S.Eusebi. Papa 1.epist.3.

E S.Anacle. Pap.1.ep. 2.& tx.in c.accusatio el 1.§ hæc,& alia.2.q.7.

Item ex eadem ratione sustẽtandi, ne ruat spirituale ecclesiæ ædificium,episcopi etiam muri dicuntur ecclesiæ, quoniam sunt positi loco illius, de quo Isaias prænuntiauit:[F] Saluator ponetur in ea murus,& ante murale. Et ita quibusdam eorum infirmis Ezechiel improperat dicens:[G] Non opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio.

Inde est quod cum in iure videmus passim episcopos vocari sanctos,immo & sanctissimos;[H] statim occurrit, sanctum in iure [I] etiam propissime vocari, quod ab iniuria hominum defensum, atq́ munitum est. Sanctum enim dicitur à sagminibus:Sunt autem sagmina,quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre solebant, nequis eos viola-

F glos.verbo columnæ, indi.c.accusatio.

G Is.26.v.5

H Clemẽs 1. de pæn.c. studeat.5. d.ca.illud quoq́. 71. d.leg.cum clericis,& auth inter dicimus C de.epis.& cle.& per totũ titul. in auth.de sanct.Epi. coll.9.

I l.sanctũ.ff de rer.diu

* l.fin.ff. de legatio. in princi. — violaret. Vnde etiam legati sancti vocabantur.[*] Atque in municipijs muri sancti sunt, & prohiberi oportet, ne quid in eis committatur. [L] Et inde est quod si quis violauerit muros, capite plecti debeat; sicut si quis transcenderit schalis admotis, vel alia quauis ratione, cum id hostile, & abominandum sit. [M]

L tex. indi. l. sactũ. ff. de rer. diuis.

M l. fin. ff. de rer. diuis.

Nec minus muros sanctos dicimus, quia quodam modo diuini iuris sunt (vt alibi dictum est in iure [N]) & ideo pœna capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint

N §. sanctæ. inst. de re.

At episcopale munus sanctissimum non solum diuini iuris est, quia à Domino Saluatore fuit institutum (vt supra diximus) sed etiam ipsum quid diuinum est ex auctoritate Diui Gregorij Nicæni dicentis: [O] Ego sane episcopatus officium, atque opus eximie laudo, quia diuinum est.

O S. Gre. Ni. in orat. de mor. citatus apud Barbos. de offi. & pot. p. 1. tit. 2. glos. 2. n. 5

Ergo episcopi, quatenus muri dicuntur ecclesię, & quatenus ex maxima parte meritis proprijs inueniuntur esse sancti, & sanctissimi; verum & omnes alij ex officij dignitate, ita ab omnibus sunt ha bẽdi, & ita in iure vocãtur, & ab omni hominũ iniuria defensi, & muniti esse debent. Quis autem iniuriam non æstimet, debitam ipsi, & solitam semper exhiberi reuerentiam non suo consueto loco, sed post alios exhiberi præcipere? Item prohiberi oportet ne quid in eos committatur, & ne quis

eos

eos velit transcēdere. Quis etiam neget esse transcendere episcopos, velle contra morem in salutationibus se illis præponi? Meminerint exemplum Remi, qui, & si frater esset Romuli principis Romanorū, occisus tamen traditur in iure,[p] eo quod murum transcendere voluerit, &(vt notat quædā glossa) pro solo conamine punitus est, quia non legitur, quod ascenderit.

p d.l.fin. cū glossa ibi. ff. de rerū diuis.

Ex supra modo dictis etiam infertur episcopos nequaquam violādos, sed potius magnifice venerandos, & suspiciendos esse, quatenus Dei sunt legati. Vnde S. Ioannes Chrysostomus dicebat:[q] Quandiu in hac sede sedemus, quandiu habemus præsidentiam; habemus auctoritatem, & virtutem, licet simus indigni. Et paulo inferius: Legati quicumque ij fuerint propter dignitatem legationis multū honorem assequuntur. Vide enim, veniunt ad mediam barbarorum regionem soli inter tot hostes, & quoniam magnam vim habet ius legationis, omnes eos honorant, omnes intuentur, omnes eos tutó emittunt. Et nos ergo suscepimus munus legationis, & à Deo venimus. Hæc est enim dignitas episcopatus, venimus ad vos legatione fungentes, pollicentes cœlorum regnum, vitam æternam, cum Christo consuetudinem, & alia bona, quæ neq a nobis possunt exprimi, neq á vobis audiri quandiu fuerimus in hac carne, & vita

q S. Ioann. Chrysost. Comment. in Col. 1. hom. 3.

vita præſenti. Legatione ergo fungimur; honore autem frui volumus; non propter nos (abſit; ſcimus enim quam ſit vilis) ſed propter vos, vt vtilitatem accipiatis. Et paulo inferius: Nos autem Dei legationis munus obimus apud homines. Qui hæc autem effecimus, non ſumus nos, ſed epiſcopatus; nō iſte aut ille, ſed epiſcopus. Nemo me audiat, ſed dignitatem.

Et Apoſtolorum princeps ſuo futuro ſucceſſori B. Clementi de laicis etiam principibus inſtruendis dicebat: [R] Illi cum tanta reuerentia verba tua ſuſcipiant, tamquam qui ſciant legatum te eſſe, & præconem veritatis.

[R refert idē S. Clemens epiſt. 1. ad Iacobum, §. id circo]

Ob huiuſmodi etiam legationis miniſterium, quatenus prædicare (vt docet Concilium Tridentinum [S]) eſt præcipuum epiſcoporum munus, merito epiſcopi ſpecialius quam alij ſacerdotes Angeli Dei vocātur. Nam Angelus idem ſonat, quod nuntius, & ideo cœleſtis patriæ ſpiritus (ſecundum doctrinam S. Gregorij magni [T]) tunc ſolum ſunt Angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. Cum itaq̃ epiſcopi in ſua conſecratione ſignanter, & ex vi oficij mittantur prædicare verbum populo ſibi commiſſo; [V] recte Angelorum officio decorari dicuntur, & decorantur, & ita eo nomine decorari debent.

[S Conc. Tri. ſeſſ. 5. c. 2.]

[T S. Gregor. hom. 34 in euang. ante med.]

[V lib. pontificalis Romani p. 1. tit. de conſecr. epiſ.]

Hoc fateri viſus eſt Angelus quādo in Apoca-

lypſi

lypsi, cum S. Ioannes semel, atq́ iterum cecidisset ad pedes eius, vt adoraret eum, S. Ioanni dixit: Vide ne feceris; conseruus enim tuus sum; quia, quatenus erat episcopus, Ioannes erat maior homine, par Angelis: & ideo (vt ait Lyra [X]) Angelus renuit accipere reuerentiam, quam sibi ille volebat exhibere.

[X] Lyra in Apoc. 22. v. 9.

Immo (auctore Thoma Bossio [Y]) episcopi non tantum Angeli (vt dictum est) appellantur; sed etiã Angelis præcellunt, quatenus eis ecclesiã regere, scientia diuinitus communicata, datum est, vt de sacerdotibus diximus. Vlterius episcopi à S. Stephano [Z] Papa 1. throni Dei vocantur, & quod de ipsis propheta ait: Cœli enarrant gloriam Dei.[A]

[Y] Tho. Boss. de sig. ecclesi. to. 2. lib. 16. c. 9 cit. à Barb in collect. Conc. sess. 25 ca. 17. n. 5.

[Z] S. Stepha. Papa I. ep. 2. §. 9.

[A] Ps. 18. v. 2.

Supra cœlos, & Angelos, & supra eos, qui Angelis præcellunt, ac supra thronos Dei, proprium exaltare solium, nec Lucifer ille primus de facto tentauit; sed (teste [B] Isaia) duntaxat dixit in corde suo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum. Et cætera. Videte casum eius, quem ipsi ad memoriam adducit Isaias dicens: Veruntamen ad infernum detraheris in profundũ laci, &c. Et hoc exemplum nunc satis sit.

[B] Isai. 14. v. 13.

Præterea propter idem legationis seu missionis ministerium Christus Dominus illos duodecim discipulos, quos primó sibi in peculiares familiares elegit, Apostolos nominauit, [C] quod nomen (vt

[C] Luce 6. v. 13.

 docet

D Cō. Aquiſ an. 816. p. 1. c. 8.

docet Concilium Aquiſgranenſe [D]) idem, quod miſſi, ſonat, quaſi nuntios, vel legatos, vel Angelos effecerit, mittens eos euangelizare ad illuminationem omnium populorum. Et non ſolum tunc Apoſtolos; ſed poſtea, quando in epiſcopos conſecrauit, eos appellauit amicos dicens: [E] Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. Et iterum: Vos autē dixi amicos. Huius rei gratia magnam ſibi exhiberi reuerētiam à Corinthijs volebat Apoſtolus, [F] cum de ſuo contemptu ageretur (vt ait ibi gloſſa ordinaria) hæc verba eis reſcribens: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Quaſi diceret (ſecūdum gloſſam interlinearem) Nihil minus homo de nobis arbitretur; ſed (iuxta ordinariam) ſic de nobis ſentiat, vt Deus, qui nos elegit.

E Ioel. 15. v. 15.

F 1. Corin. 4 v. 1.

Cum autem epiſcopi in eccleſia ſimus ſucceſſores Apoſtolorum, & eorum teneamus locum; [G] iure poſſumus exigere ab hominibus, vt nos exiſtiment, & reuerenter intueantur, vt miniſtros Chriſti, id eſt, vt eius peculiares miniſtros ratione dignitatis; immo etiam, vt adminiſtros, & ſocios Dei, & ipſimet Deo cohærentes. Nam per Zachariam dicit: [H] Framea ſuſcitare ſuper virum cohærentem mihi. Vbi S. Pagninus, & Vatablus vertunt: Super virum ſocium meum. Et gloſſa moralis id exponit de Prælatis, quod Deus permittit aliquando temporaliter affligi.

G S. Anicet. Pap. I. epi. 2. & 3. & tx. in ca. in nouo 21. d. & in c. quorū 68. d. Cō. Tri. ſeſ. 23. c. 4

H Zacha. 13 v. 7.

Et

Et quemadmodum regum adminiſtri, vt qui regibus cohærent, gaudent prærogatiua potioris honoris; ita epiſcopi, vt Apoſtolorum ſucceſſores, & ideo peculiares adminiſtri Domini noſtri Ieſu Chriſti, in eccleſia debent honorari pluſquam cæteri regij miniſtri.

Et notandum eſt ex verbis Apoſtoli; duas eſſe ad hoc præcipuas rationes. Altera eſt, nos eſſe miniſtros Chriſti; altera vero, diſpenſatores eſſe myſteriorum Dei.

Et quo ad primam rationem certum eſt, nos miniſtris regijs debere anteferri, ex eo quód miniſtri ſumus excellentioris Regis, quia in dignitatũ prçcedentia attenditur dignitas eas conferentis, & ita ordinatus à maiore præfertur ordinato à minore, [I] & qui habet dignitatem á Principe præfertur in pari caſu habenti ſimilem dignitatẽ ab alio; * & ideo lex dicit quód primo ſcribenda ſunt nomina eorum, qui dignitates iudicio principis ſunt conſequuti. [L]

Sumus autem miniſtri Chriſti, qui (vt ait idem Apoſtolus [M]) beatus, & ſolus potens [ſupple fuit, eſt, & erit] Rex Regum, & Dominus Dominantiũ, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem; & [vt in Apocalypſi [N] dicitur] eſt agnus, qui vincet reges, quoniã Dominus dominorum eſt, & Rex regum. [O] Et habet in veſti-

I: c. per tuas de maior. & obed. & Colleg. Bonon conſi. 1. pro monac. S. Bened. n. 8. & 9. poſt cõſ Zabar. Decius in c. clerici, de iudicijs. n 19.

*: c. per tuas de maior. & obe. Deci. in rubr. de poſtulatio. in prin

L: l. fin. ff. de alb. ſcr.

M: 1. Timo. 6. v. 15.

N: Apo. 17. v 14.

O: Apo. 19. v 16.

mento,& in fæmore suo scriptum: Rex regum, &
P Lu.1.v.33 Dominus dominantium,& [vt Angelus prænuntiauerat [P]] regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Ergo ad similitudinem mensuræ [siqua inter infinitum & finitum esse potest] qua Christus Dominus, & regnum eius æternum præstant Domino nostro Regi catholico, & eius temporali regno[quem,& quod diutissime ipse Christus conseruet, & vsquequaq secundet] tanto[si possibile esset]potiores in honoribus habendi sumus episcopi præ ministris Domini nostri Regis. Videlicet quatenus sumus Christi non solũ ministri, sed administri eidem cohærentes. Quia proximiores sedi principis,& qui magis ei approximantur in incessibus,& alijs actibus debent reputari digniores,& honorabiliores haberi. [Q]

Q Bald.cõs. 387.in pr. v preterea notissimũ. lib.1.

Altera vero ratio nostræ episcopalis præcedentiæ est secundum Apostolum, quia sumus dispensatores mysteriorum Dei. Quasi dicat ex sententia S.Ignatij martyris: [R] Non sumus deputati ad temporalis cibi, potusve, rerumque prætereuntium ministerium, sed ad supernorum dispensationem sacramentorum. Propterea sic nos homines suspiciant, vt quibus Deus dedit in terra cœlum ipsis claudere, & aperire, non vtique præcipue ad arcendas, vel ad ducendas pluuias[vt Elias [S]]sed ad sacrorũ cœlestes fontes reserãdos, vel occludẽdos;

R S.Ign.martyr.epi 5. ad trallia.

S 3.Reg.17 v.1. &3. Reg.18.a ver.42.& Ia.5 v.27

Et

Et ad præmiſſorum inueſtigandam differentiæ rationem, oportet meminiſſe, ex verbis diuinæ ſapientiæ [r] Deum omnia in menſura, & numero, & pondere conſtituiſſe; quod ſi in rerum naturalium cõditione hoc mirabiliter videmus obſeruatũ, quo modo ~~non potius~~ in humanæ naturæ reformatione mirabilius facta id ipſum poſſet deficere? Vnde S. Leo magnus [v] ait: Spiritus ſapientiæ, & intellectus ita Apoſtolos, & totius eccleſiæ erudiuit magiſtros, vt in christiana obſeruantia nihil inordinatum, nihil pateretur eſſe confuſum.

[r] Sap. 11. v. 21.

[v] S. Leo ep. 4. c. 2.

Quo circa in eccleſia [vt dicit Diuus Hieronymus [x] in iure relatus] duo ſunt genera chriſtianorum: Vnum quod mancipatum diuino officio deditum contemplationi, & orationi ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare conuenit, vt ſunt clerici, & Deo deuoti, videlicet conuerſi: Alterum vero genus ſunt laici, id eſt populus, quibus licet tempotalia poſſidere, vxorem ducere, terram colere, inter virum & virum iudicare, & cauſas agere, &c. Ita quoq́ duo ſunt [vt ait Sanctus Gelaſius Papa I. [y] relatus etiam in iure] quibus principaliter hic mundus [id eſt chriſtianiſmus] regitur; auctoritas ſcilicet ſacra pontificum, & regalis poteſtas. In quibus nõ negamus, quin Rex præcellat in temporalibus [vt ait Innocentius 3. [z] relatus in iure] illos duntaxat, qui ab eo ſuſcipiunt temporalia; ſed pontifex in

[x] S. Hieron. relatus in c. duo ſũt. 12. q. 1.

[y] S. Gelaſi. relatus in c. duo ſunt 96. diſt.

[z] Innoc. 3. relatus in c. ſolitæ, de maioritate, & obed.

ſpiri-

ſpiritualibus antecellit, quæ tanto ſunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori. Cuius rei ſignificandæ gratia ex orbis conditi ratione ponit etiam exemplum, & comparationem, videlicet: Quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamēto cœli; luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti: vtrumque magnum, ſed alterum maius. Ad firmamentum igitur cœli, hoc eſt vniuerſalis eccleſiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id eſt, duas inſtituit dignitates, quæ ſunt, pontificalis auctoritas, & regalis poteſtas. Sed illa, quæ præeſt diebus, id eſt ſpiritualibus, maior eſt; quæ vero carnalibus, minor. Vt quanta eſt inter ſolem & lunam, tanta inter pontifices, & reges differentia cognoſcatur.

Neque valet quiſquam dicere Innocentium 3. in ſupradictis verbis agere duntaxat de ſuprema Romani Pontificis auctoritate, non vero de epiſcoporum omnium dignitate. Nam reſpondemus euidenter huic obiectioni reſiſtere litteram textus, cum apertè, & ſignanter agat de Patriarcha Conſtantinopolitano decentiùs apud Imperatorem tractando, deque reuerenti aſſurrectione á Regibus exhibenda Archiepiſcopis, & epiſcopis ſuis, & de ſede eiſdem iuxta reges ipſos aſſignanda, vt poſt pauca infra notabimus.

Ad rem igitur propoſitam reuertentes ex ſupra ſcrip

ſcriptis differentiæ inter reges, & epiſcopos ratio-nibus B. Petrus [A] Apoſtolorum princeps (vt refertur in iure) omnes principes, & cæteros homines epiſcopis obedire præcipiebat. Et eius diſcipulus, & ſucceſſor S. Clemens [B] in iam propoſita eccleſię ad nauem comparatione, poſt Deum nauis dominum, & poſt Christum gubernatorem, ſtatim ante omnes homines epiſcopum in proretæ officio cōſtituit.

A B. Pet. relatus in c. omnes, de maiorit. & obed.

B S. Cleme. in dict. epiſt. 1. §. ſiqui, col. 2.

Item alibi idem ſanctiſſimus Papa, & martyr ait: Hos (ſcilicet epiſcopos, & ſacerdotes) exiſtimate veſtros Præſides, hos putate Reges, his quaſi regibus vectigalia offerte. Vt enim Samuel [C] de rege alendo ſanxit populo, & Moyſes de ſacerdotibus; ſic nos vobis de epiſcopis ſancimus. Nam ſi illic populus tanti regis pro portione facultatis ea, quæ dicuntur, ſeruitia præſtabat; an non multo magis debet nunc epiſcopus accipere à vobis, quę ſunt ei à Deo cōſtituta ad alendū eum, & clericos eius? Immo ſi quid amplius dicendum eſt, plus hic accipiat, quam ille olim accipiebat. Siquidem illę militaria tantum adminiſtrabat, bello, & pace ad cuſtodiam corporis ſuſceptis; hic vero ſacerdotium ad Dei honorem adminiſtrat, vt pericula ab anima, & corpore propulſet. Quāto ergo anima corpore præſtantior eſt, tanto eſt ſacerdotium regno excellentius; ligat enim aut ſoluit ſupplicio, vel re-

C 1. Reg. 8. 9. & 10.

miſſio-

missione dignos. Quocirca oportet episcopum vt patrem diligere, vt regem metuere, & vt dominum honorare.

Et quatenus episcopi, & sacerdotes populorum sunt Doctores, idem S. Clemens eos omnibus principibus, maioris etiam ordinis, anteponit dicens: Vos, qui sacerdotio Domini fruimini, & in specula estis positi, plus scire oportet, &c. Vestrum est, quia legatione Domini fungimini, docere populos; eorum vero est vobis obedire, vt Deo.

De inde prosequitur, prout in iure habetur expressum:[D] Si autem vobis episcopis non obedierint omnes presbyteri, diaconi, ac subdiaconi, & reliqui clerici, omnesque principes tam maioris ordinis, quàm inferioris, atque reliqui populi, tribus, & linguæ non obtemperauerint, non solum infames, sed & extorres á regno Dei, & consortio fidelium, ac à liminibus Sanctæ Dei ecclesiæ alieni erunt. Nam vestrum est eos instruere; eorum verò vobis obedire, vt Deo, cuius legatione fungimini, dicente Domino.[E] Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. [F] Et qui vos recipit, me recipit, & qui recipit me, recipit eum, qui me missit. Nihil enim iniustius, vel inhonestius est, quam filios patribus rebelles, aut clericos, vel laicos doctoribus, seu discipulos magistris inobedientes, vel proteruos existere.

D c. si autem vobis, 11. q. 3.

E Lucæ 10. v. 16.

F Matt. 10. v. 40.

Et

Et paulo inferius inquit:[G] Omnis Pōtifex sacro chrismate perunctus, & in ciuitate cōstitutus scripturis sacris conditus, vel eruditus, charus,& pretiosus hominibus oppido esse debet, quem, quasi Christi locum tenentem, honorare omnes debent, eique seruire, & obedientes ad salutem suam fideliter existere, scientes, quod siue honor, siue iniuria, quæ ei defertur, in Christum redundat,& à Christo in Deum. — G S.Cle.pap I.ep.3.

Item ait: Qui minime crediderit doctoribus, & episcopis suis, & non beneuolus, sed rebellis, atque inobediens extiterit, fructum non germinabit,nec pariet; sed similis est arbori illi, de qua Dominus ait:[H] Omnis arbor, quæ non facit fructum suum,excidetur,& in ignem mittetur. — H Matth. 7. 19.

Et S. Ignatius martyr[I] Antiochenæ ecclesiæ tertius post B. Petrum Apostolum episcopus sequentem inter ecclesiæ personas dignitatum ordinem seruandum tradit:Laici(inquit)ex quorum numero sunt etiam reges christianissimi, Diaconis subijciantur; Diaconi Presbyteris; Presbyteri Episcopo;Episcopus Christo, vt ipse Patri. — I S. Ignati. epi 10.ad Smyrnen.

Item alibi:[L] Principes obediunt Cæsari;Milites Principibus;Diaconi Presbyteris sacrorū præ- — L S. Ignati. ep ad Philadel.&in ep.ad Philippen.teste Baron. ann. 109. nu.27. & 28.

fectis: Presbyteri autem, Diaconi, & reliquus clerus vna cum populo vniuerso, & militibus, Principibus, & Cæsare ipsi Episcopo pareant; Episcopus Christo, vt Christus Patri.

Item: Omnes episcopum sequimini, vt Christus Patrem.

Item paulo inferius: Laici diaconis subijciantur; Diaconi Præsbyteris; Presbyteri Episcopo; Episcopus Cristo, vt ipse Patri.

M S. Ignati. epis. 10. & cita. á Baro. ann. 57 n. 31.

Item alibi idem S. Ignatius ait: [M] Honora Deum, vt omnium auctorem, & Dominum; episcopum, vt principem sacerdotum imaginem Dei ferentem; Dei quidem propter principatum; Christi verò propter sacerdotium. Honorare oportet & Regem; nec enim Rege quisquam præstantior, aut quisquam ei similis in rebus omnibus creatis. Neque episcopo quidquam maius in ecclesia, qui Deo consecratus est pro totius mundi salute.

At verò longe præstare Christi sacerdotes regibus, hoc argumento, quo vtitur, satis significat. Si enim iure censebitur pæna dignus, qui aduersus Regem insurgit, vt qui violat bonas legum constitutiones; quanto, putatis, grauiori subiacebit supplicio, qui sine episcopo volet agere rum-

pens

pens concordiam, & decentem confundens ordinem? Sacerdotium enim eſt omnium bonorũ, quæ ſunt in hominibus apex.

~~Vnde in iure dicitur: Si quis venerit N contra præceptum epiſcopi ab eccleſia eijciatur. In libro enim Regum legitur: O Qui non obedierit principi morte moriatur, & in Concilio Agathenſi, quod anathematizetur.~~

N tx. in cap. ſiquis, de mai, & ob

O 1. Reg. 15

Verba autem S. Ignatij huiuſmodi ſunt: Nemo potior eſt Deo, neque ſimilis ei; neque epiſcopo honorabilior ſacerdotium Deo gerenti pro mundi ſalute: neque regi ſimilis, qui eſt in exercitu, pacem, & beneuolentiam omnibus principibus cogitanti. Qui enim honorat epiſcopum, honorabitur à Deo; & qui inhonorauerit eum, à Deo inhonorabitur. Si enim quis contra Regem inſurgens damnatione dignus eſt, quomodo vltionem euadere poterit qui præter epiſcopum aliquid egerit? Sacerdotium enim eſt ſumma omnium bonorum, quæ in hominibus conſiſtunt, quod ſi quis eum inhonorauerit, Deum inhonorat, & Dominum Ieſum Chriſtum primogenitum totius creaturæ, & ſolum natura principem ſacerdotum Dei. *Unde in iure dicitur si quis venerit contra preceptum episcopi ab ecclesia eiciantur. in libro enim Regum legitur, qui non obedierit principi morte moriatur et in concilio Agatensi quod anatematizetur.*

Huc ſpectat quod in ſumma S. Euſebius Papa I. dixit: [P] Caput eccleſiæ Chriſtus; Chriſti autem vicarij ſacerdotes, qui vice Chriſti legatione funguntur in eccleſia. Idcirco quidquid ad eorũ fit iniuriam, ad Chriſtũ pertinet, qui dixit: [Q] Qui vos ſpernit, me ſpernit; qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſſit me.

P S. Euſebi. Papa 1. epiſt 3.

Q Luc. 10. v 16.

Et Diuus Gregorius Nazianzenus tranſcriptus in corpore iuris, [R] ciues ſuos angoris plenos, & magiſtratum iratum ſic allocutus eſt: Lex Chriſti ſacerdotali vos ſubijcit poteſtati, atq; iſtis tribunalibus ſubdit. Dedit enim & nobis poteſtatem, dedit & principatum multò perfectiorem principatibus veſtris. Aut numquid iuſtum vobis videtur, ſi cedat ſpiritus carni, ſi à terrenis cœleſtia ſuperentur, ſi diuinis præferantur humana?

R S. Gregor. Nazia. ex præſſus in c. ſuſcipitis, 10. diſ.

Item S. Ambroſius in iure quoque tranſcriptus ait: [S] Honor, & ſublimitas epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, & principum diademati, longè erit inferiùs, quaſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: Quippe cùm videas Regum colla ac principum ſubmitti genibus ſacerdotum exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum ſe credunt communiri.

S S. Ambro. de dig. ſacer. c. 2. & refer. in c. duo ſunt 96. diſt.

Et

Et idem Ambrosius alibi dixit: [r] Nihil in sæculo sublimius episcopis reperiri potest, & nihil episcopo excellentius.

Et Sanctus Gelasius [v] Imperatorem instruens: Tanto est (inquit) grauius pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim (fili clementissime) quòd licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis, inq; sumendis cœlestibus sacramentis, eisq;, vt competit disponendis, te subdi debere, religionis ordine potius, quàm præesse.

Ex quibus patet euidenter episcopos in spiritualibus præesse imperatoribus, & regibus, & sic posse eos errantes libere redarguere. Quod confirmatur exemplis Romanorum Pontificum adductis á S. Gelasio. Videlicet, Leonis papæ in imperatorem Theodosium iuniorem; Hilari in Anthemium imperatorem; Simplicij, & Fœlicis in Basiliscum tyranum, & in Zenonem imperatorem; Innocentij primi in Arcadium imperatorē; & eiusdem S. Gelasij in Odoacrem tyranum Italiæ. [x] Item exemplo Innocentij 3. in imperatorē Constantinopolitanum. [r]

Ve-

[r] S. Ambro. de sacerd dig. c. 3.

[v] S. Gel. ind epis. 8. cuius fragmenta habētur in d c. duo. 96. dist.

[x] S. Gela. ep 13. col. 8. & in cap. duo sunt. 96. dist.

[r] Innocent. 3. ind. cap solitæ, de mai. & ob

Verum mille alia exempla episcoporum aliarum orbis ecclesiarum reperiuntur, quorum nonnulla insigniora libuit hic breuiter recitare. Eugenius Carthaginensis [z] episcopus, multique cũ eodem catholici sacerdotes Honorico regi Vandalicæ nationis constanter restiterunt sæuienti cuncta extrema tolerantes.

[z] S. Gel. ep. 13. col. 8.

S. Ioannes Chrysostomus [A] episcopus Constantinopolitanus apud Eudoxiam imperatricem, quod eam propter Calitropæ viduæ pecuniam, & alterius viduæ agrum reprehendisset, grauiter offendit. Et ad argenteam eiusdem Eudoxiæ statuam ludos fieri prohibebat.

[A] Breui. Ro. die 27. Ia.

S. Stanislaus [B] episcopus Cracouiensis Boleslaum Poloniæ regem grauiter offendit, quod illius notam libidinem publicè arguebat, & frustra admonitum tandem á fidelium communicatione remouit.

[B] Breui. Ro. die 7. Ma.

S. Thomas Canturiēsis episcopus Henrico 2. Angliæ regi [C] leges ferenti repugãntes vtilitati, ac dignitati ecclesiastecæ adeo constanter obstitit, vt exinde multas calamitates, & tandem martyrium passus sit.

[C] Breui. Ro. die 29. Decemb.

Et Archiepiscopo Compostellano [D] Paschalis Papa

[D] Paschalis Pap. 2. epistol 21. & apud Marian. lib. 10 c. 8. histor. gener. Hisp.

Papa 2. de notorio inceſtu filiæ regis agens eius ordinariam iuriſdictionem incitans ita reſcripſit: Stude ſecundum datam tibi diuinitus facultatem tantum inceſti facinus, quod à regis filia perpetratum eſt, debita vltione corrigere, vt vel á tanta præſumptione deſiſtat, vel eccleſiæ conſortio, & ſæculari poteſtate priuetur.

Hæc ſola auctoritas ad rei noſtræ probationem ſatis erat. Sed non licet hac in re præterire S. Ambroſium, & Imperatores Valentinianum, & Theodoſium. Valentinianus enim imperator relatus in iure [E] cum vellet catholicum eccleſiæ Mediolanenſi epiſcopum conſecrari, euocans epiſcopos, hæc eis locutus eſt. Talem in pontificali conſtituite ſede, cui & nos, qui gubernamus imperium, ſyncerè noſtra capita ſubmittamus, & eius monita, dum tamquam homines deliquerimus, neceſſarió velut curantis medicamenta ſuſcipiamus.

[E] c. Valentinianus 63 diſt.

Item idem imperator, cum S. Ambroſium coram ſe res nonnullas tanquam minus rectè à magiſtratibus adminiſtratas coarguentem audiret, eidem ſancto epiſcopo reſpondit: [F] Noui iam pridem tuam in loquendo libertatem, qua explo

[F] ex Theodoret. lib. 4. c. 6. tradit Baron ann. 374. n. 10.

ratè

ratè cognita, non modo tuæ in episcopum ordinationi non restiti, verumetiam suffragatus sum. Quare (sicut diuina præscribit lex) nostrorum animorum medicinam facito.

Et Gratiano imperatore occiso, ad Maximum eius interfectorem [G] S. Ambrosius legatus missus, eoque pœnitentiam agere recusante, se ab eius communione semouit.

G Breui. Ro. die 7. Decemb.

Et cum Theodosius imperator [H] cunctaret quamdam iussionem iniustam iam emissam reuocare, idem S. Ambrosius primò illum litteris, vt eam reuocaret monuit, quo non obtento, in oratione cum audiretur á populo, inuectus est vehementer in imperatorem, nec prius ad altare accedere voluit, nisi fide sua imperator illum agere debere testaretur. Cui episcopus respondit: Ergo ago fide tua. Et respondit imperator: Age fide mea. Et ipse S. Ambrosius (vt refertur [I] in iure) eidem maiori Theodosio imperatori communionem publicè, palamque suspendit, atque ad pœnitentiam redegit regiam potestatem.

H ex S. Amb ep. 28. tradit Baron. anno 388 n. 92.

I c. duo sũt. 96. d. late Bar. anno 390. a nu. 21. & Rufi. historia eccle. lib. 11. c. 18.

Et cum idem Imperator [L] legem ferret libertati ecclesiasticæ aduersariam; ne, scilicet, quid clericis relinqui posset, compulsus á S. Ambrosio eã abrogauit.

L Bar. anno. 390. n 70

Et

Et hæc imperatoris Theodoſij veneratio, & ſubiectio erga S. Ambroſium, vt epiſcopum, confirmatur ex eo quod ex Theodoreto, & Nicephoro tradit Sandoual [M] his verbis: Como el Emperador Theodoſio vna vez en Milan hicieſſe ſu ofrenda en el altar mayor, ſegun era de coſtumbre, y ſe quedaſſe dentro de las rejas ſagradas en el lugar ſanto diputado para los ſacerdotes; embiòle a preguntar S. Ambroſio, que que aguardaba en aquel lugar: reſpondiole, que eſperaba para comulgar; y embióle el ſanto a decir con ſu Arcediano, que el ſanto lugar, en q̃ eſtaba, era para ſolos los ſacerdotes, en el qual ninguno otro podia entrar: por tanto que ſe ſalieſſe de el, y ſe fueſſe a el lugar de los legos: y que la purpura hacia emperadores, pero no hacia ſacerdotes. Y reſpondiole con humildad el emperador: que el ſe auia quedado porque en Conſtantinopla ſe le auia permitido, eſtar dentto de las rejas ſagradas, y por eſſo penſó que lo miſmo le era licito hacer en aquel lugar. Y luego ſe ſalio, y alabó mucho a el ſanto por lo que auia hecho cō el. Y otta vez en Conſtantinopla en ofreciendo, luego ſe ſalio de el lugar ſagrado, y como le embiaſſe a preguntar Nectario obiſpo de Conſtantinopla, que porque ſe ſalia; reſpondio: Apenas è hallado otro enſeñador de la verdad como Ambroſio.

[M] Theodore in hiſt tripart. lib. 9 ca. 30. Nicepho. Calixt. hiſtor. ecc. lib. 12 ca. 41. Sādobal de offi. eccl. p. 4. c. 10.

Et si forte quis velit nobis obijcere, quod aliás dixit eminentissimus Bellarminus:[N] Vere non deessent multi Theodosij, si multos haberemus Ambrosios: Respōdemus primo cum sancto Thoma [O] (vt supra diximus) episcopos non esse principaliter honorandos propter excellentiam propriæ virtutis, sed propter excellentiam dignitatis.

[N] Bellarmin de officio Prin. lib. 1 c. 5. in fi.

[O] S. Tho 2 2 ar. 2. ad 2.

Secundo respondemus, quod est expressum in iure,[P] boni principis esse sacerdotes honorare, atq; tueri. Iudicare autem an sint, necne, sancti sui episcopi, nequaquam ad oues, quarum ipsi sunt pastores, pertinet. Nam episcopi à Deo sunt iudicādi, qui eos sibi oculos elegit.[Q] Verumetiam si Principes norint aliquos episcopos non esse moribus conuenienter probos; nihilominus omnes honorare debent propter dignitatem. Melius est enim (vt ait sanctus Ioannes Chrysostomus[R]) propter bonos etiam malos fouere, quàm propter malos contemnere bonos. Propter bonos ergo sacerdotes, etiam malos honora, ne propter malos etiam bonos contemnas. Melius est enim malis iniusta præbere, quàm bonis iusta subtrahere.

[P] c. fi. 96. p.

[Q] ca. oues. 6. q. 1.

[R] S. Io. Chr. in Mat. 25.

Episcopalem itaque dignitatem venerationis gratia, alijs, præter iam supra relata, diuersis elogijs inuenimus celebratam, tum in iure, tum apud priscos ecclesiæ Patres. Quorum seriem late prosequitur nouissimè Mauritius de Alcedo,[S] sed hic breuiter

[S] Mauritius de Alcedo de præexcellētia episcop. dignit. p. 1. c. 10. & 11.

uiter recenſere opus eſt.

Et 1. epiſcopus à Principibus, & alijs Dominus vocari debet,[r] quod nomen nulli hominum, neque impetatori olim tribuebatur,[v] epiſcopo tamen conueniens viſum eſt, quia Chriſti Dñi perſonam repræſentat; quia eius locum tenet, & ſic tanquam ſubrogatus aſſumit qualitatem [x] prin cicipalis, vnde Diuus Ignatius [y] martyr admonet, vt omnes ſuum epiſcopum honorent, ſicut Chriſtum Dominum. Hac de cauſa (vt reor) in omnibus feré actis antiquis Capituli almæ eccleſiæ Hiſpalenſis (cuius canonicatu per viginti & vnum annum potiti ſumus) & in pleriſq modernis, cùm eminentiſſimi, ſeu Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Hiſpalenſis mentio fit, ſtylus habet, vt dicatur, cum hac nota: Nueſtro Señor, y Prelado, quám ſolis Dominis noſtris Papæ, & Regi alij ſolent adijcere.

2 Dicitur epiſcopus ſacroſãctus, & Deo amabilis.[z]

r c. cum clerico. de verb. ſignificat. l. 66. tit. 5 & alijs citatis ab Alcedo dict. cap. 10. num. 2.

v Alcedus, vbi ſupra, num. 3.

x Idem Alcedus ibidem, num. 20.

y Sanct. Ignatius, in epiſtola ad Trallianos, citatus ab Alcedo, vbi ſup. num. 21.

z Auth. de ſanct. epiſ. coll. 9. & auth. quomodo oporteat, § & illud etiã, collat. 2. c. cum imperator, 85. diſt. & alijs adductis ab Alced. n. 22.

A
Tot. tit. C. de episcop.& clericis. Lancellotus lib. 2.cap. 5.num.6.& Alcedus vbi sup. num.23.
B
l. defensores, l 4. C.de def.ciuit. l. iubemus, C.de epis. audient. l. cum clericis, l. generaliter, C. de epis. & cler. & toto titulo in dict. auth.de sanctissimis episcop.colla. 9. & alijs adductis ab Alc. n.24.
C
Mar. Alterius de censuris, tom.1. lib.5 cap. 1.disp.17. col.1.lit.E. & Alced. vbi sup. num. 25.
D
citato Cephalo, Alcedus vbi sup. num. 26.
E
citato Menoch. Alced.num.27.
F
citato Ceph. Alced. num. 28.
G
citato eodem, idem num. 29.
H
citato eodem, idem num. 30.
I
plurimis citatis Alcedo num.31.
L
l. ad similitudinem,C.de episcop. & cleric.& Alcedus vbi sup.n.31.
M
Conc. Tolet.8. c. 4. & Alc.n.32.
N
c.ad Eminentiam de sent. excom.
O
clementin. in plerisq; de elect. & plurimis citatis Alc. vbi sup.n.33.
P
Couar.var.lib.3.c.20.& Alc.n.34.
Q
citato Angelo Alced. num. 35.

3 Dicitur Religiosissimus.[A]

4 Reuerendissimus.[B]

5 Membrum præcipuũ reipublicæ Christianæ.[C]

6 Episcopus est persona notabilis.[D]

7 Et honesta.[E]

8 Et magna.[F]

9 Et egregia.[G]

10 Et excelsa.[H]

11 Et spectabilis.[I]

12 Et clarissima.[L]

13 Et eminentissima,[M] quod nomen etiam Romano Pontifici tribuitur in iure.[N]

14 Et episcopus etiam dicitur serenissimus, quod nomen est regum,& imperiale.[O]

15 Et est par Proconsulibus,& eorum locum obtinet.[P]

16 Et est maior Præside ciuitatis.[Q]

17 Et dicitur Prætor ciuita-

uitatis, & magistratus.[R]
18 Et apud nostros Hispanos dicitur Señoria,[S] etiam si sit solùm episcopus titularis.[T]
19 Itē episcopus est persona illustris.[V]
20 Et dicitur Præses prouintiæ, & de maioribus magistratibus.[X]
21 Et defensor appellatur ciuitatis, & ei assimilatur.[Y]
22 Et dux, comes, marchio, & rex dicitur.[Z]
23 Et præfectus prætorius, & ei assimilatur.[A]
24 Et in Hispaniarum, & Indiarum regnis episcopus est consiliarius regius,[B] et ideo ita ab ipso domino rege nostro catholico appellatur, & ab alijs appellari debet.
25 Et episcopi sunt regni magnates, & proceres, & totius regni, & reipublicæ præcipua membra, & inter proceres, & magnates primum locum obtinent.[C]

R
citato Gratiano, Alced. n. 36.

S
l. 18. tit. 1. lib. 4. recopilation. & Alced. vbi sup. num. 38.

T
alijs citatis, Alced. num. 39.

V
c. fin. de sentent. & re iud. in 6. gloss. in d. l. ad similitudinem, C. de epis. & cleric. gloss. in c. quanquam, 2. q. 7. & multis citatis Alced. vbi sup. n. 49. & 50.

X
c. placuit 6 q. 3. gloss. verb. iudicare, in c. 1. de off. ord. & gloss. in l. illicitas, ff. de offi. Præs. & multis citatis, Alced. vbi sup. n. 51.

Y
plurimis adductis Alced. num. 55.

Z
quamplurimis probat Alced. n. 57.

A
idem similiter, num. 59.

B
l. 31. lib. 2. ordinament. l. 4. tit. 4. lib. 2. recopilat. & multis alijs adductis, Alced. vbi sup. n. 61.

C
late Alcedus à n. 67. vsq; ad 71.

26 Et vocabantur Apoſtolici Patres,[D] & epiſcopalis ſedes dicebatur Apoſtolatus,& Apoſtolica ſedes. [E]

27 Item ſalutabantur, digniſſimi, & Patres colédiſſimi, & apoſtolicæ Papæ eccleſiæ, & Chriſti ſpeculatores. [F]

28 Et etiam Papa Romanus epiſcopos vocabat Patres, & non fratres quando cúm eis priuatim loquebatur. [G]

29 Vocātur etiam Principes eccleſiæ [H] iuxta illud Eccleſiaſtici: Statuit illi teſtamentū pacis, principem ſanctorum, & gẽtis ſuæ. [I] Et iuxta illud Pſalmi 44. Conſtitues eos Principes.

30 Et vocātur ſancti, & beati, [L] & lex Hiſpana dicit: Debemos tener a los Obiſpos por Sãtos. [M]

31 Immo ſanctiſſimi in iure vocantur.[N]

32 Et vocabantur olim Papæ, quia hoc nomen erat commune omnibus epiſcopis.[O]

Et nil

D multis citatis, Alced. vbi ſup. cap. 11. n. 8.

E Fileſaco citato, Alced. c. 11. n. 9.

F Alced. ibidem.

G citato Marqueſano, Alced. vbi ſupra num. 10.

H c. eccleſiæ, 35. diſt. c. quorum, 65. diſt. c. ſiquis de maioritat. & obed. Zerola in praxi p. 2. verb. epiſcopi, §. 13. & Alced. cap. 8. num. 48.

I Eccli 45. v. 30 & Pſalm. 44. v. 17.

L c. ſtudeat 50. diſt. c. illud 71. diſt. c. excellentiſſimus 11. q. 3.

M l. 1. tit. 5. p. 1.

N l. cum clericis, & auth. interdicimus C. de epiſcop. & clericis, & in toto auth. de ſanct. epiſc. coll. 9. & clementina 1. de pœnis, & multis citatis, Alced. d. c. 11. n. 7.

O multis citatis, Alcedus d. c. 11. n. 5.

Et nil mirum eſt,eos Papas appellari,cum quantum ad ordinem,& conſecrationis rationem(non veró quoad iuriſdictionem)æquales,ſeu pares ſint ipſi ſummo Romano Papæ, [P] & quia in eccleſia epiſcopatus eſt dignior alijs ordinibus, [Q] & Chriſtus Dominus fuit epiſcopus iuxta illud Apoſtoli: [R] Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum. Vel potius iuxta illud B.Petri: [S] Sed conuerſi eſtis ad paſtorem,& epiſcopum animarum veſtrarum. Atque etiam,quia neque eſt, neque inuenitur maior ordo, quàm epiſcopalis; ideo Papa ſe epiſcopū nominat, & ſi epiſcopus in Papam aſſumitur, non conſecratur,ſed tantummodò coronatur, quia ſupra epiſcopatum nullus eſt ordo. [T] Et epiſcopus frater,& coepiſcopus Papæ dicitur,& Papa eſt inter epiſcopos,ſicut B Petrus inter Apoſtolos,& epiſcopi ſunt membra,& pars corporis Papæ.

P multis cit. Alce. c.8. num.16.

Q citato Gábaras Alc. c.8.n.22.

R Heb.9. v. 11.

S 1.Petr. 2. v.25.

T multis cit. Alc.d.c.8. ex nu.23. vſq ad 29.

Et nomen epiſcopi eſt omnium dignitatum eccleſiarum honorabilius, quia(vt ait lex partitæ [V]) Los mas honrados ſon los Obiſpos, ca maguer a Papa, e Patriarcas, e Primados,& Arçobiſpos;pero todos eſtos ſon Obiſpos como quier ayan los nomes departidos.

V l. 1. tit.5. p. 1.

Sed huiuſmodi veneratio non ore tenus duntaxat, verum & factis in multis deferebatur epiſcopis.

Neque enim ſolum vocabantur Papæ,ſed etiã

eodem

eodem veſtimento vtebantur,colore,& modo,ſicut Papa.[X] Et nunquam in publicum ſine ſacris ſymbolis prodibant.[Y]

Et poſt Papam, & ante Cardinales ſe ſubſcribere ſolebant,[Z] & in epiſtolis, & alijs ſcriptis ſe ſeruos ſeruorum Dei dicebant,[A] vt ſe Papa vocat, & per multa temporum curricula Papam elegerunt,& epiſcopos creabant,& deponebant,& ſanctos canonizabant, & ſanctorum feſta celebrare ſolemniter poterant,dies feſtiuos ſtatuendo,[B] & religiones confirmabant, & erant earum omnium quaſi generales.

Et alia multa eis competebant, quæ modò ſoli Romano, vt ſummo omnium,competunt epiſcopo,in quibus epiſcoporum iuriſdictio, & poteſtas ab ipſo reſtricta eſt.

Tum etiam venerationis cauſa(ſicut hodie fit cum Papa) fideles epiſcoporum deoſculabantur pedes.[C] Quin etiam eos adorabant,ſed tamen alio cultu, quám qui ſolius Dei proprius eſt. Et illa formula:adoro te, vtebatur quiſquis fideliũ obuium habens epiſcopum.[D] Et meminimus legiſſe quondam,ſed modò non recordamur in quo auctore, ob id ipſos epiſcopos in vſum communem accepiſſe crucem ferre á collo pendentem, quam vulgo pectoralem vocamus ad præfatam adorationẽ ſibi à fidelibus factã in ipſa Dñi cruce recipiendã.

X citato Ioa Trull. Alc. c.11.n.4.

Y citato Fileſa. Alce. n.3.

Z citat. Gui. Redoano, Alced. d.c 11.n.11.

A citato Fileſe. Alce. c.11.n.13

B Alijs cita. Alced. d.c 11. n.14. 15.16.19 20.21.25. 27.& 24.

C citat. S. Hieron. Alce c.11.n.17

D citat. Iſid. & Fileſac. Alce.n.18

Et in Hiſpania dignitas epiſcopalis adeo fuit venerationi, vt,cùm epiſcopi in ſolemnitatibus martyrum, reliquijs collo ſuo impoſitis,ad eccleſiam progrederentur,leuitæ albas induti in ſellulis eos deportabant, quemadmodum in ſolemnioribus ſolet Papa deportari,donec Concilium Bracarenſe 3.[E] hoc epiſcopis prohibuit anno 675.

Et eccleſia vniuerſalis præcipit in ſolemnioribus officijs Presbyteros, & alios miniſtros, non ſolum in cõmuni clericatus habitu exiſtentes,ſed etiam ſacris ornatos veſtibus,&, quod plus eſt,etiam diuina celebrantes myſteria,erga epiſcopos præſentes diuerſos reuerentiæ ſeruare ritus, omnes enim clerici(exceptis Dignitatibus, & canonicis)à portionarijs incluſiue, & infra, ante epiſcopũ genuflectere in pleriſque functionibus debent,& aliquando profundam exhibere inclinationem,& aliquando caput ſubmittere, vt videre eſt in toto libro cerimoniali Romano : & in his eſt,vt inter concionem, cùm orator concionando conuertit ſe ad epiſcopum, aut Legatum ibi præſentem, caput profundè inclinet.[F] Et circa ſæculi Principes nihil tale inuenimus decretum ab eccleſia fidelium omnium matre & magiſtra,

[E] Conc. Bracarenſe 3. ca.5.aliàs 6. &refert Marin. in hiſto.genr. Hiſp.lib.6 c.14. Roman.Reip Chriſt.lib. 2.c.1.Alc d.c.11.n.2

[F] lib cerim. 1.c.21.

de cuius iudicij certitudine non licet hærere.

Huiusmodi autem veneratio dignitatis episcopalis, non solum ad personas, & circa res ecclesiasticas se extendebat, & extendit; verum & sęculares omnes tetigisse olim, & nunc tangere certum est. Quo in genere, pluribus alijs omissis, meminisse oportet sequentium.

G cerimonia Episc. lib. 1 c. 2.

Cerimoniale episcoporum statuit,[G] quòd quã primum Archiepiscopus prouinciam, & episcopus diæcesim suam intrauerit, signo crucis benedicat sibi occurrentes subditos, qui genuflectere debẽt. Ecce genuflexio nobis debetur à subditis nostris occurrẽtibus sine distinctione aliqua. Quomodo ergo qui nobis genuflectere debẽt, præferri nobis in solitis concionum salutationibus volunt?

* ceremonia vbi supra.

Item in primo accessu episcopi * debent Magistratus, & officiales cum ciuibus, & populo obuiam ire episcopo. Sicut in accessu omnium prędecessorum nostrorũ; & in nostro Limanus iuit Senatus, & ab ingressu ciuitatis ad ecclesiam, & ab ecclesia vsque ad indigniorem nostri palatij archiepiscopalis aulam nos honorificè deduxit in capite eorum progrediẽtem. Et in sua aula secreta, quæ de el acuerdo real vocatur, nos supra

eos

eos omnes, & ſub baldachino regio, & ſupra gradum, & in ſella aurifrigiata & ſerica, & omnino æquali ei, quam Excellentiſſimus Prorex habebat ſedimus, &, vt conſtans traditio eſt, ſemper noſtri ſederunt prædeceſſores, quando illuc intrare nos, & eos opus eſt: & ipſi loco inferiores extra prædictum baldachinum, & in plano infra prædictum gradum, & in ſolitis ſibi paratis ſellis coreaceis ſedent. Quomodo ergo quidam ex illis modo tentant nos ab illo dimouere loco, quem ab initio tenemus, & poſt ſe in ſalutationibus poni debere. Numquid procedens in dies pontificatus noſter minoris eſt habendus?

Item idem cerimoniale ſtatuit, quod ſi adeſt magnus Princeps, qui velit epiſcopum comitari, debebit epiſcopus aliquantulum reſiſtere, non tamen huiuſmodi obſequij, & pietatis officium omnino recuſare. Et alia multa ſunt huiuſmodi, quæ conſulto mittimus breuitati ſtudentes.

Item quo ad perſonas, & cauſas populares olim laicorum cauſas epiſcopi, vt iudices terminabant, etiam in prima inſtantia, & in gradu appellationis, ſi actor, vel reus appellans ad epiſcopum cauſam dirigeret etiam aduerſario refragante. [H]

H c. nouit. de iudic. cap. omnis, & c. quicunq 11. q. 3.

Et hoc etiam ante tempora magni Constantini iam erat in vsu. [I] Et eiusdem venerationis gratia sibi ius episcopi dicebant, quod singulare [L] est.

I Alce. alijs citatis, d.c. 11.n.41.

L Alce.d.c. 11.n. 42. & 43.

Secundo super magistratus, & Præsides sæculi etiam in causis ad eorum potestatem concernentibus episcopi magnam habebant auctoritatem. Et anno 314. in Concilio Arelatensi [M] canon est talis: De Præsidibus, qui fideles ad præsidatum impetu prosiliunt, ita placuit, vt cùm promoti fuerint litteras accipiant ecclesiasticas communicatorias: Ita tamen, vt in quibus locis gesserint, ab episcopo eiusdem loci cura de illis agatur, vt cùm cæperint contra disciplinam publicam agere, tunc demum á communione excludantur. Similiter, & de his fiat qui rempublicam agere volunt.

M Conc. Arelatense.I. can.7.

Et hic canon conditus est presente, & annuente in eo Concilio Constantino magno, & á S. Siluestro Papa I. fuit confirmatus, vt ex auctoritate Eusebij probant Baronius, & Binnius. [N] Ob id in Synodo Ptholomensi, vt tradit Baronius [O] anno 411. eo quod Andronicus prouinciæ prefectus multa crudelia in subditos, atque irreligiosa, & impia perpetrasset, eum dira excommunicationis

N Baron.ann 314.n.56. & 57 Binnius in notis ad dict Conc. Arelat. lit. B.

O Baron.an. 414.n.52

tionis pœna mulctarunt. Vnde apparet episcoporum iuris fuisse præsidere Præsidibus;& perperam ab eis facta corripere ecclesiastica auctoritate ex tradita sibi á Deo omnium Domino potestate.

Et idem colligitur ex litteris S. Augustini [P] à Marcellino cognitore Datæ petēti, ne in quosdam delinquentes pœnam mortis irrogaret. Et post varia argumenta, quibus hoc ab eo extorquere conatus est: Postremo(inquit) pro ecclesiæ vtilitate missus es: hoc ecclesiæ catholicæ, aut(vt modum dispēsationis meæ ne supergredi videar) hoc ecclesiæ ad Hipponensium regionum diæcesim pertinenti prodesse, hoc expedire contestor. Si non audis amicum petentem, audi episcopum consulentem, quamuis, quia Christiano loquor, maximè in tali causa non arroganter dixerim, audire te episcopum conuenit iubentem, Domine eximie, & meritó insignis, atque charissime fili: vnde Baronius [Q] probat qualiter episcopi Præfectis imperabant.

P S. August. epist. 159. vel 169.

Q Baron. an. 412. n. 4.

Voluit etiam Honorius imperator, [R] vt non clerici tantum, sed & laici, & qui inter eos magistratibus fungerētur, si quid in Deum peccassent,

R l. 40. & 41 de epis. & cleri. in C. Theod. & tradit Baronius. an. 412. n. 8.

vel

vel iura ecclesiastica violassent, episcopos haberent iudices, qui ecclesiasticorum confectione actorum causas ipsorum iudicarent. Cuius rei etiã exemplum extat apud S. Augustinum.[s]

s S. August. epist. 75.

Præterea huius auctoritatis episcopalis in Presides, & præfectos non leue argumentum est, quod tradit Baronius.[T] Nam cùm Comes Bonifacius quemdam morte dignum confugientem ad ecclesiam inde abstrahi iussisset: S. Augustinus erectus ad vltionem sceleris vigore sacerdotali comitem monuit præcipiens, vt reum ecclesiæ illæsum reuocaret, quem vt irreligiosissimus rapuerat, atque eidem communionem interdixit. Sed tantus Comes, & dux exercitus flagellis ecclesiæ verberatus (vt æquum fuit, & semper sublimioribus erit) humiliter respondit in hæc verba prorumpens: Humilis saluto, quod primum est. Et post offensæ confessionem ait: Dei, & Sanctorum regimine viuo: illum itaque virum morte dignissimum, quem (vt dixi) meus de ecclesiæ foribus furor abstraxit, vitæ tuis iussionibus donamus illæsum, &c. Exemplum est hoc ad hoc, & ad alia pium.

T Baron. an. 422. n. 13.

Et anno 527. Iustinianus[V] imperator iussit

V Iustin. nouell. 86.

episc-

episcopos Præfectis prouinciarum, & iudicibus præpositos esse, ne quid ab illis contra iustitiæ ordinem committeretur, &, vt si dum aliquis adierit iudicem prouinciæ, non inueniret iustitiam, tunc eum iubet adire suum sanctissimum episcopum, & ipsum mittere ad clarissimum prouinciæ iudicem, aut per se venire ad eum, & præparare eum, vt omnibus modis audiat interpellantem, & liberet eum cum omni iustitia. Si verò etiam sanctissimo archiepiscopo compellente iudicem cum iustitia determinare interpellantium causas, iudex differat discernere negotium, & non seruet litigantibus iustitiam, iubet Imperator sanctissimum ciuitatis illius episcopum dare ad imperatorem litteras ei, qui non meruit, quod iussum est, insinuantes, quia coactus ab eo iudex distulit audire interpellantem, & iudicare. Vt Imperator inferat supplicia tali iudici. Item statuit vt quotiescumq́ iudex suspectus habetur, possit, addi ad eam causam episcopus, qui cum eo causam definiat. Sed etiam vt qui læssum se à iudice querelatur, interpellatus ab eo episcopus causam illam iudicare possit, cuius si iustæ latæ sententię nō steterit iudex, nouissimis supplicijs afficiatur.

Et

Et ſi quis plus exegerit, quam quæ legibus iuſſæ ſunt ſportulæ ſolui, de his epiſcopus Imperatorẽ moneat. Et notat Baronius,[x] quod ex his conſtitutionibus Iuſtinianus magnam conciliauit ſibi fiduciam, ratus propitium ſe habiturũ Deum, quem his hoſtijs promereret.

x Baron. an. 527. n. 50. & 51. & 52

Hac etiam de cauſa, anno 589. in Concilio Toletano 3.[y] præſidente S. Leandro Archiepiſcopo Hiſpalenſi, canon quidam ſtatuit, vt epiſcopi ſint proſpectores ſecundum regiam admonitionem, qualiter iudices cùm populis agant, vt ipſos præmonitos corrigant, aut inſolentiam eorum auribus Principum innoteſcant. Quod ſi correctos emendare nequiuerint, & ab eccleſia, & communione ſuſpendant. Et hoc Concilium à Reccaredo Hiſpaniarũ Rege catholico cõfirmatum eſt ſanctione edita, & pœnis in tranſgreſſores additis, & pro tanto pietatis munere Deus eũ à coniuratione in ipſum inita eripuit.[z]

y Con. Tol. 3. c. 28.

z Baron. an. 589. n. 43. & 44.

Et anno 813. tam in Concilio Arelatenſi,[A] quàm in Moguntino[B] decretum eſt, vt comites, iudices, ſeu reliquus populus obedientes ſint epiſcopo, & inuicẽ conſentiant ad iuſtitias faciẽdas.

A Con. Arelaten. c. 13

B Con. Mogunt. c. 8.

Et anno 895. Concilium[C] Triburenſe ita ſtatuit:

C Con. Triburen. c. 9.

tuit:

tuit: Cúm episcopus ecclesiam à Domino Deo sibi commissam regens episcopatum circumeundo perrexerit, & placitum canonicé constitutum decreuerit, populumque sibi creditum illo inuitauerit: atque Comes eadem die sciens placitum ab episcopo condictum, vel nesciens, placitum cum populo suo condixerit, & per bannum illuc venire præceperit, placitũ Comitis omnes postponant, & Comes ipse, idemque populus post episcopum festinè pergant.

Et tandem super Reges, & Imperatores, & super eorum regna, & imperia magna fuit semper episcoporum auctoritas. Nam, præter plurima iam supra ad id notata, episcoporum erat Imperatores coronare, sicut hodie eos Papa coronat.[D]

Et in Hispania anno 633. in Concilio 4. Toletano[E] episcopi de futuris regibus sententiã promulgarunt, & in scelestos, & crudeles anathematis sententiam imprecati sunt. Et decreuerunt cum gentis consultu ne Siuntilam regem, & vxorem, & filios eius, & alios ad honores regios aliquando ipsi episcopi promouerent.

Et anno 636. in Concilio Toletano 5.[F] in salutem, & prolem Regum molestantes, & Regnum adipisci, supesstite Rege, tentantes, aut Regi maledicentes anathema promulgarunt, & proximè relatum anterioris Concilij decretum confirmarunt,

D alijs citat. probat Al ced. d. c. 11. n. 29. & lib. pontif. episcop continet ritus huius coronationis.

E Conci. 4. Toleta. c. fin. ad fin.

F Concil. 5. Tolet. á c. 2. vsq ad 7.

quo episcoporum in creandis Regibus non leuiter adumbratur auctoritas, sed planè apertiùs declarata est anno 653. in Concilio 8. Toletano, [G] his verbis: Ab hinc ergo, & deinceps ita erunt in regni gloriam præficiendi rectores, vt, aut in vrbe regia, aut in loco, vbi Princeps decesserit cum Pontificum, maiorumq́ palatij omnimodo eligatur assensu. Cui conciliari decreto consonat decissio legis libri, qui fuero juzgo appellatur, [H] quæ sic se habet: Donças establecemos q́ de aqui a delante los Res deben ser esligidos, o en a cidat de Roma, o en aquel logar o moriere el otro Rey, e debe ser eslegido con consevo de los Obispos. Et hoc ita obseruatum est vsque ad tempora Regis Pelagij.

G Con. Tole. 8. cano. 10. ad fin.

H Alced. d. c. 11. n. 22. & citat alios.

Et Bobadilla refert, [I] Que en el Concilio Cabilonense se dice, que los que rigen los pueblos tomen consejo con los Obispos en las cosas de importancia, y que fueren dudosas.

I Bobadilla in politica lib. 2. c. 17. n. 10. §. biẽ consta.

Sed in Cauilon. Conc. 1. [L] nõ inuenimus huiusmodi decretũ, est autẽ in 2. aliud tenoris sequẽtis.

L Conc. Cabilonen. 2. ann. 813. cap. 20.

Si inter omnes fideles pax, & concordia habẽda est dicente Apostolo: Sequimini pacem, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum: multo magis inter episcopos, & inter comites esse debet, qui post imperialis apicis dignitatẽ populum Dei regunt, ita enim inter se concordare debent, vt

alre-

alterutrum sibi ad Dei seruitium peragendum, & ministerium suum explendum non solum non noceant, quin potius adminculo sint.

Et subdit Bobadilla: [M] Que los Reyes de Castilla passados vsaron mucho de tomar consejo cõ los Obispos en las cosas de importancia, y dudosas: y vno de ellos pidio a los Obispos congregados en vn Concilio de Toledo, que le diessen leyes con que el Reyno viuiesse, y se las dieron.

M Bobadill. vbi sup.

Ad exemplum Regis Alarici, [N] qui priusquam Codicem Theodosianum traderet vtendum, ab episcopis videri, examinari, probariq́ fecit, & nullam penitus (vt dicit Baronius) sæcularium legum editionem, promulgationemq́ fieri passus est, antequam eædem cognoscerentur, atque ab episcopis probarentur. Et obseruatione quidem digna res est quomodo quandiu nullum negotium facessiuit catholicæ ecclesiæ episcopis, quam fœlicissimè ad 22. annos regnum etiam inter æmulos barbaros propagauerit; sed simul ac Arelatensem episcopum exulare fecit, regni pariter cum vita infœlix dispendium passus est.

N Baron. anno 506. n. 10.

Item auctoritate episcoporum regni Legionis ipsum regnum cum regno Castellæ fuit incorporatum anno 1230. in Sancto Rege Ferdinando 3. qui iam pacificè in Castella regnabat, quæ incorporatio facta fuit non obstantibus Regis Ildephó-

si 9. testamento, & magna procerum, & magnatum contradictione. [o]

Et tandem Bobadilla dicit: Y tambien los Reyes presentes tienen por de su consejo a los sagrados Obispos. [p] Et hac duntaxat attenta dignitate videre libeat, quanta sit disparitas dignitatis inter eos qui sunt Regis consiliarij, & inter eos qui non sunt. [q]

Hæc omnia supra notata cùm prudenter attẽderent pij Imperatores, & Reges, in magno honore episcopos habuerunt. Nam præter iam relata pietatis exempla, cum piæ memoriæ Constantino principi [R] in scripto oblatæ accusationes contra episcopos fuissent; libellos quidem accusationis accepit, & eosdem, qui accusati fuerant, episcopos conuocans in eorum conspectu, libellos, quos acceperat, incendit dicens: Deus vos constituit sacerdotes, & potestatẽ vobis dedit de nobis quoq; iudicandi; & ideo nos á vobis recte iudicamur: vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra iurgia, quæcumque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. Vos enim nobis á Deo dati estis Dij, & conueniens non est, vt homo iudicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit.

o Alced. d. c. 11. n. 24.

p Bobadill. vbi sup.

q colligitur ex tx. l. 7. cum seqq. tit. 18. p. 4.

R S. Gregor. Mag. lib. 4. epist. 31.

Et cer-

Et certè magnus ipſe Conſtantinus cum ſummo honore epiſcopos excipiebat ad Nicenum Concilium venientes,[S] (& vt in eodem Concilio[T] refertur:) Aderat & rex poſt ipſos(ſcilicet epiſcopos) & poſtquam acceſſit,in medio conſtitit, nec prius ſedere voluit,quàm epiſcopi innuiſſent.Tãta religio , & virorum reuerentia Regem occupauerat.Et ideo in iure [V] reperitur dixiſſe , oportere, vt pontificalis apex non vileſcat,ſed magis,quàm terreni imperij dignitas, gloria, & potentia decoretur.

S Baron.anno 325. n. 16.

T Bellarmi. de off.princip. lib.1. cap.5 v. ſed ſi haberemus.

V c.Conſtantinus, 96. diſt.

Et S. Patricius epiſcopus Hibernorum ſic regibus imperabat,ac ſi verè parens, & dominus ipſorum eſſet.

Et S.Dunſtanus,cùm ſuum Regem in obſcenã libidinem ruiſſe ſciret,ad ipſum venit,& cum Rex venienti pro more occurreret, eumq́ per manum ad ſolium ſuum perducere vellet,manum ſuam S. Dunſtanus turbato vultu retraxit, neque eam ab homine contingi paſſus eſt. A quo Rex ,cur manũ ſibi non daret inquiſiuit . Sed S. Dunſtanus eum graui oratione peccati admiſſi pœnitere compulit. Vbi obſeruat eminentiſſimus Bellarminus epiſcopo venienti Regem occurriſſe,& manum porrexiſſe , atque ad ſolium deducere voluiſſe , & ad reprehenſionem epiſcopi non iratum ſcanduiſſe, ſed humi poſtratum pedes epiſcopi cũ lachrymis, & ſin-

& ſingultibus apprehendiſſe, & pœnitentiã accep taſſe.

Talem ſibi honorem debere non præſumebat, ſed recte iudicabat Leontius epiſcopus, Eccleſiæ regula nominatus (vt refert [x] Baronius) Nam acerſitus ab Euſebia auguſta faſtuoſa quidem fœmina, ei chriſtiana, & pontificali libertate reſpondit: Si me ad te venire volueris, debita epiſcopis reuerentia ſeruata: ego quidem ingrediar; tu autem ſtatim de ſublimi ſolio deſcendens, reuerenter mihi obuiam procedas, & caput meis manibus ſupponas benedictionem acceptura: ac de inde ego ſedeam, tu reuerenter adſtes, cum iuſſero dato ſigno, ſeſſura. Si hæ tibi conditiones placuerint, veniam ad te; ſin alio modo, non tam multa dabis, vt nos honore epiſcopis conueniente neglecto diuini ſacerdotij inſtitutum violemus.

x Baron. anno 325. n. 16.

Non prætereunda ſunt exempla ſancti Martini epiſcopi Turonenſis, nam cũm ad Imperatorẽ Maximũ plures ex diuerſis partibus epiſcopi conueniſſent, & fæda circa Principem adulatio eorum notaretur, ſeq́ degeneri inconſtantia regiæ cliẽtelæ ſacerdotalis dignitas ſubdidiſſet; in ſolo Sancto Martino Apoſtolica auctoritas permanebat. Nam & ſi pro aliquibus Regi ſupplicandum fuit; imperauit potius, quàm rogauit. Et à conuiuio eius frequenter rogatus abſtinuit, & tandem victus vel

ratio-

ratione, vel precibus ad conuiuium venit mirum in modum gaudente Rege quòd impetrasset. Et Martinus sellula iuxta Regem posita consedit. Ad medium autem fere conuiuium (vt moris est) pateram Regi minister obtulit: ille sancto admodum episcopo dari potius iubet expectans, atque ambiens, vt ab illius dextera poculum sumeret. [r]

Itẽ Maximus Imperator S. Martinum mirè veneratus est: similiter & regina eius vxor, adeo vt vterq; S. Martinum compulit, vt ei, remotis omnibus ministris, regina sola præberet conuiuium; & compositus fuit reginæ manibus apparatus; sellulam ipsa consternit, mensam admouet, aquam manibus subministrat, cibum, quem ipsa coxerat, apponit. Ipsa, illo sedente, eminus secundum famulantium disciplinam solo fixa consistit immobilis per omnia ministrantis modestiam, & humilitatem exhibens seruientis. Miscuit ipsa bibituro, & ipsa porrexit. [z]

Et ex sententia Iustiniani [A] Imperatoris, nihil sic debet esse studiosum Principibus, sicut sacerdotum (& ideo maximè episcoporum) honestas: cum & pro illis ipsi semper Deo supplicent, & interest Principum maximam habere solicitudinem circa illorum honestatem. Nam his eam obtinentibus, credendum est per eam maxima Principibus dona à Deo danda esse, & ea, quæ iam sunt, firma illos habi-

r Sulpit. in vit. S. Martini, c. 23. apud Surium, die 11. Nouẽb.

z idem Sulpitius dialogo 2. c. 7.

A Authẽtic. quomodo oporteat episco. coll. 1. in princ.

habituros, & quæ non hactenus venerunt, adquisituros esse.

Et Ioannes Filesacus [B] refert constitutionem suorum regum tenoris sequentis: Episcopos, & sacerdotes, quibus omnis terra caput inclinat, per quos & nostrum pollet imperium, admodúm honorare, & venerari omnes monemus.

B Filesa. de sacr. episc. auctori. c. 1. §. 2. fol. 4. citatis ab Alced. de præexcelen. episc. dign. p. 1. c. 8. n. 67.

Item Innocentius 3. Imperatorem Constantinopolitanum, postquam debitam episcopis reuerentiam docuit, ita reprehendit, quod Constantinopolitano episcopo eam non exhibuerit: Hæc autem (inquit) si prudenter attenderet imperatoria celsitudo, nō faceret, aut permitteret Constantinopolitanum Patriarcham, magnum quidē, & honorabile membrum ecclesiæ, iuxta scabellum pedum suorum in sinistra parte sedere: cúm alij reges, & principes archiepiscopis, & episcopis suis (sicut debent) reuerenter assurgant, & eis iuxta se venerabilem sedem assignent.

Si ergo catholicus Rex, & dominus noster non dedignatur, iuxta prædictam decissionem, reuerenter archiepiscopis, & episcopis suis assurgere, & iuxta se venerabilem eis sedem assignare, vt omnibus notum est; verúm etiam iubet coram se archiepiscopos caput operire, & cùm domino archiepiscopo bonæ memoriæ D. Gundisaluo de Campo hoc factum est Gadibus anno 1624: Quo pacto

pacto (rogamus) episcopis, & præcipuè suo Archiepiscopo Limano (qui procul dubio in hac nostra Peruana prouincia honorabilius ecclesiæ membrum existit) volunt in salutationibus antehaberi, & archiepiscopum post scabellum pedum suorum salutari quidam Senatores regij, quibus ipse dominus noster Rex nequaquã coram se quid simile indulgebit, neque permittet?

In prõptu causa est; licet enim optimè sciunt supra dicta, & infra dicenda; non tamen, vt par est, ea in facto attendunt: sed contra decernunt. Et maximè conducunt exempla, quæ Balthasar Porrennus, & alij referunt de Philippo 2. catholico Hispaniarum Rege, quem meritò cuncti prudentem appellant: Fue tan grande [c] honrrador (inquit Porrennus) de los sacerdotes, y ministros del templo, que estando en Valencia el año de 1585. sabiendo las diferencias que auia entre el Virrey de aquel Reyno, y el Arçobispo de aquella ciudad, cerca del recebir la paz en la missa, y entendiendo su Magestad, que por ordẽ de su consejo se auia mandado, que se diesse primero a el Virrey, que representaba su persona (como tambien se auia mandado para el Peru entre el

c Balthasar Porreñ. en los dichos y hechos de Phelip. II. cap. 6. & idem affirmãt Torres de filosoph. moral lib. 1. c. 7. Prope finem, & alij plures.

Virrey, y el Arçobiſpo de los Reyes) hallandoſe ſu Mageſtad en la Igleſia, aſſiſtiendo a miſſa mayor, y viendo que le traian la paz, dixo al que la traia: Andad, y dadla primero a el Arçobiſpo; y aſſi ſe hizo, recibiendola deſpues ſu Mageſtad cō ſingular aplauſo, y edificacion de todo el pueblo, que exclamó, y leuantò la voz diziendo: Viua el Rey. Y dandole gracias por tan gran piedad, imploró a Dios larga vida para tan gran Monarca.

Et proſequitur Porrennus cumulans plura pietatis exempla, quæ ipſe Philippus ſecūdus exactè præſtabat iuxta regulas miſſalis, & Pontificalis, quæ dicit in purificatione, & in feria quarta cinerum, & in Dominica Palmarum non ſolum Prælatos, & canonicos, ſed & omnes de clero, & acolythos accipere debere candelas, & ramos, & capere cineres ante Imperatores, & Reges. Et addijcit idem feciſſe in adoratione crucis in feria ſexta in paraſceue: atque quando quis presbyter primam celebrabat miſſam, ad eius exoſculādam manum accedebat, quaſi ipſe eſſet quiſpiam alius de populo.

Sunt & alia plura maioris momenti, quàm modo notata ad epiſcopalis dignitatis auctoritatem perti-

pertinentia, in quibus Domini Senatores Indiarum attentis solummodo regijs decissionibus, seu schedulis sunt episcopis longè inferiores. Nam generaliter quædam lex [D] Indica dicit: Que las audiencias honren, y respeten a los Prelados, y guarden sus preeminencias a las Iglesias cathedrales. Ecce iubentur Domini Senatores episcopos honrificare, & venerari. Non quidquam eius honoris illis detrahere, qui solitus fuerit ipsis exhiberi, & si cathedralibus ecclesijs præeminentias debent Domini Senatores conseruare, cur nō potius episcopis suarum ecclesiarum principibus?

D l.15.tit.3. lib.2.de recop. Indicæ.

Item alia lex dicit, que los Arçobispos, y Obispos, aunq́ esté presente Virrey, ò Præsidente, puedan poner dosel en la Iglesia en los casos q́ se le concede el ceremonial Romano. Sed quod ad Dominos Senatores attinet, lex alia duntaxat præscribit: [E] Los Virreyes en las Iglesias pongan sitial, y los Oidores concurriendo en cuerpo de audiencia, sillas, y alfombra sin almoadas, aunq́ el Virrey no esté presente. Y quando por su falta gouernare la audiencia, el Oidor mas antiguo ponga silla de terciopelo, y almoada.

E l.3.tit.30. lib.2.recopila.Ind.

Et quidem auctoritati Proregiæ solum con-

F
l.4. tit.30. lib.2. reco pila.Ind.

G
l.5.tit 30. lib.2 recopil.Ind.

cessum est, que las ceremonias,[F] que se guardan con la persona Real en su capilla, se guarden en las Indias con los Virreyes. Sicut etiam alia lex dicit:[G] que la ceremonia de bajar el euangelio, quando se canta, se haga con solo los Virreyes, y no con los Presidentes. Et horum ratio videtur, quia Ex.[mi] Domini Proreges repræsentationem, & imaginem Regiæ personæ secum inseparabiliter ferunt semper, & vbiq̃, nam eorum officium non est annexum alicui determinato loco, dummodo sint intra suarum prouinciarum limites. Et ideo cùm discedunt ab vrbe, possunt secum sigillum asportare regium; immo ita hæc auctoritas eorum inhæret personis, vt in casu discessus opus habeant (si velint non ferre sigillum) expressè, & determinatè illud alicui committere, vt prope diem Ex.[mus] Prorex Marchio de Mancera profecturus Guácabelicam commissit Dño D. Andreæ de Villela Decano huius Limani Senatus, & aliàs ab Ex.[mis] prædecessoribus Proregibus idem factum fuisse, constans traditio est. Sed Domini Senatores Regij non videntur habere eamdem, & inseparabilem semper, & vbiq̃ repręsentationem; sed solum supremam suæ auctoritatis rationem exer-

exercent, quando in ſecretis ſubſellijs regijs ius populo dicunt,& ideo tunc ſupremo celſitudinis titulo eos alloquimur:ſed neque tunc eam habẽt in ſuprema regia auctoritate, ſiquidem in cauſis, quas vocant maioris quantitatis ab eis datur gradus ſupplicationis ad Regium Indiarum ſupremũ Conſilium cum duplis mille & quingentis. Attamen in audientiæ publicæ ſubſellijs aliquanto minorem videntur ſortiri auctoritatem, ſiquidem licet ſcripto vocari ſoleant celſitudinis appellatione, non tamen in verbo ita ſemper vocantur; ſed ſolum dominationis nuncupatione, quæ longe inferior eſt.

Extra hæc loca, & caſus nullam, aut paruam habere videntur huiuſmodi Dñi Senatores Regij repræſentationem regiæ perſonæ; ſiquidem ius dicere non valent, neque quidquam præcipere, & de eorum ſingulorũ cauſis ciuilibus Ordinarij ciuitatis iudices(niſi fallimur)cognoſcunt, quamuis non negamus multum eis deberi reuerentiæ, & honoris pluſquam alijs ſæcularibus, ſeu laicis.

Comprobatur etiam quoniam omnes in corpore audientiæ nos in primo acceſſu (vt ſupra diximus)aſſociant. Item ſanctæ fidei iudices, Inquiſi-

quisitores scilicet Apostolicos in eorum actibus publicis. Item nonnulli ex eis S. Cruciatæ Commissarium apostolicum, in quibusdam actibus associant.

Item quia in dictis actibus, tàm Inquisitores, quàm idem Commissarius eos omnes in corpore audientiæ collectos præcedunt, etiam si non adsit Ex.mus Prorex. Vt in quadam regia schedula cauetur, & cum Domino Ioanne de Cabrera nostræ ecclesiæ Thesaurario, & Commissario Cruciatæ prope diem vidimus obseruari.

Item comprobatur maximè intra ecclesiam, vbi placitum tenere prohibiti sunt iure canonico [H] refragante; alioqui sententia ibi lata esset ipso iure [I] nulla, & si esset in causa sanguinis, ipsi excommunicationi subderentur. [L] Et ita lege Indiarum cautum est:* que quando la audiencia se juntare en actos eclesiasticos en la Iglesia, o fuera de ella, no traten negocios, ni llamen de vos a los Capitulares.

Item q̃ estando el Arçobispo, [M] o Obispo en la capilla mayor, se le dè primero la paz, y despues al Virrey, o Presidente por vna misma persona; y estando en el coro, salgan dos paces juntas.

H c. 1. c. cum Ecclesia, de immunit. eccles.

I c. decet §. fin. eodem tit. in 6.

L d. c. cum ecclesia.

* l. 16. tit. 30. lib. 2. recopil. Ind.

M l. 19. & l. 20 tit. 30. lib. 2. recopil. Ind.

tas. Y en quanto a los q́ las an de lleuar, ſe guarde el ceremonial, y que a dar la paz a los Oidores baje el ſacriſtan, o otra perſona, que no ſea el diacono, ni ſubdiacono.

Hìc plures poſſunt perpendi diſparitates inter Epiſcopos, & Senatores.

Item cautum eſt,[N] que quando algun Oidor fuere al coro, no ocupe ninguna de las dos ſillas colaterales a la del Prelado. Quomodo extra chorum, & in manifeſtiore populi conſpectu nobis præferri geſtiunt in ſalutationibus ij, quibus iuxta nos immediatè aſſidere non eſt permiſſum? non vtique ob aliam (vt remur) cauſam, quam propter noſtræ ſacræ dignitatis reuerentiam.

N l.41.tit.30 lib.2. recopil. Ind.

Item alia lex dicit:[O] La ceremonia de decir el capellan la confeſſion en la miſſa, y el Credo, que ſe hace con los Virreyes, no ſe haga con el Oidor mas antiguo, ſino quando gouernare la audiencia. Nobiſcum autem vniuerſus clericus, atque etiam altaris miniſtri parati confeſſionem facere tenentur,[P] nec non & circulos ad Kyrie eleyſon, ad hymnum Angelicum, ad fidei ſymbolum, ad triſagium, & ad Agnus Dei.

O l.48.tit.30 lib.2. recopil. Ind.

P ex lib. cæ-rimoniali.

Item,[Q] que al echar el agua bendita antes de

Q l.33.tit.30 lib.2. recopil. Ind.

la

la miſſa mayor,ſe eche primero a el Arçobiſpo,o Obiſpo, y a los clerigos que con el eſtuuieren, y luego al Virrey, o Preſidente, y audiencia, todo por vna miſma perſona. Si in huiuſmodi luſtralis aquæ aſperſione non ſolum nos,ſed etiam clerici nobis aſſiſtentes debemus præferri;quomodo non potius nos ſoli in concionum ſalutationibus præferendi ſumus auditoribus? Sumus enim caput (licet indignum) ſpirituale huius eccleſiæ ei ſolum in auctoritate inferius, quod vniuerſalem regit eccleſiam: & quique fideles ad noſtram eccleſiam pertinentes, quauis præfulgeant ſæculari poteſtate, pars, & membra ſunt corporis eius, ſub nobis eius capite conſtituta,& quanto caput cæteris præeminet membris, tantò noſtris fidelibus loco,& anctoritate præeſſe debemus, maximè in noſtra alma Metropolitana eccleſia, quia licet in quauis noſtræ diæceſis parte,etiam in locis exemptis, & priuilegiatis præſideamus; præcipuè in propria eccleſia,vbi ſpecialius reſidet noſtra cathedra, & ſedes Apoſtolica, [R] & repræſentatur noſter ſacer præſulatus: quanto magis in exercitijs noſtri Pontificatus,in quibus Excellentiſſimis Proregibus,& Dominis Præſidibus in ſuis reſiden-

[R] Barboſa, iuris eccleſiaſt. lib. I. c 12. n. 10 & n. 11.

residentijs debemus præferri iuxta decissionẽ prædictæ legis Indicæ, & aliam, quæ dicit:* Que concurriendo el Virrey, o Presidente solo con Arçobispo, o Obispo, que no vaya vsando su oficio en algun ministerio eclesiastico, el Virrey, o Presidente lleue el lado derecho, y mejor lugar. Ergo vbi nos fuerimus in aliquo ministerio ecclesiastico vtentes nostro officio, Proregibus, & Præsidibus præferri debemus, quanto magis Dominis Auditoribus?

* l.32.tit.30. lib.2. recopil. Ind.

Et Excellentissimi Proreges episcopis extra officia ecclesiastica versantibus prælati sunt ratione vassallatus, quem debemus, & profitemur Domino nostro Regi, cuius immediatam imaginem Excellentissimi Proreges vbique præseferunt; Dñi autem Auditores non ita, sed in subsellijs duntaxat, & cum limitationibus supra notatis.

Quod etiam confirmatur, quia extra prædicta subsellia regia, vnus alius iudex regius aulæ criminalis, vulgo, Alcalde del crimen, solus potest, & præcipit plusquam omnes Domini Auditores, quia etsi aliás non habeant huiusmodi regij iudices æqualem cum Auditoribus potestatem, ea tamen, quam habent, non est adeò limitata subselliorum loco.

Item omnia desuper notata confirmãtur, quoniam si ipsi Auditores extra sæpe dicta subsellia

repræsentassent alicubi Dominum nostrum Regẽ, ad effectum eos propterea salutãdi, tunc salutatio nequaquam esset congrua, nisi saltem exhiberetur conformis ei, quæ eis defertur in inscriptionibus, quæ præponuntur libellis omnibus, qui cum ipsis in subsellijs considentibus loquuntur, dicendo: Muy poderoso Señor. Nã eos nuncupare solùm, Señor, esset excessus magnus, & tribuere eis titulũ, quem Dominus noster Rex in signum supremæ suæ maiestatis sibi reseruauit.[s] Vnde sequeretur alterum duorum: Quód, aut præsentia Excellentissimi Proregis eos à tãta deijceret maiestate: & quidem stylus habet ei præsenti salutationem fieri, dicendo, Excellẽtissimo Señor, quod valde minus est, quàm dicere: Muy poderoso Señor: Vel si non esset præsens, plurimùm Domini Auditores præualerent, ex eo quòd essent capite minuti, videlicet sine tanto capite sui corporis Prorege scilicet, & Præside suo. Qui adeo præualet ipsis propter assertam immediatæ regiæ repræsentationis rationem, vt etiam in ipsis subsellijs publicis, vbi ipsi Domini Auditores inscribuntur in dictis libellis, Muy poderoso Señor; si non adsit Excellentissimus Prorex, vocantur tantummodo Señoria; attamen si Excellentissimus Prorex adsit, non cum ipsis præsentes loquuntur, dicendo, vuestra Señoria, sed cum Domino Prorege, dicendo: Excelentissimo Se-

[s] L. 16. tit. 1. lib. 4. noue recop.

mo Señor ; &, vuestra Excelencia ; quod plus est sine ambiguitate. Ergo ipsi in huiusmodi concurrentijs non repræsentant, neque repræsentare valent Dominum nostrum Regem præsente, vel nō præsente Excellentissimo Domino Prorege. Cuius auctoritas, & dignitas ex se maior est auctoritate, & dignitate totius Senatus, siquidem ei soli attenditur in salutationibus tribuendo ipsi prærogatiuā nuncupationis dignitati suæ competentis, nullo habito respectu ad præsentiam Audientiæ. Et in alijs pené innumeris rebus manifestatur dignitatis proregiæ excellentia, quod nullo modo tolerari deberet, si Domini Auditores assertam haberent repræsentationem.

Item si suprema Domini nostri Regis Consilia etiam cum suis Præsidibus in ecclesijs Curiæ, dum concionibus intersunt, non salutantur (vt á multis in Curiæ rebus expertis ita fieri accepimus) licet habeant in suprema auctoritate Regem Dominū nostrum repræsentare ; quo potiore iure Domini Auditores Limani non habentes cum Dñis Consiliarijs parem auctoritatem, plus sibi volunt honorificentiæ tribui in concionū salutationibus, quàm quæ Dominis Consiliarijs in Curia tribuitur?

Igitur, qui iuxta prædicta in præmissis, & alijs, in quibus plus auctoritatis considerari potest, agnoscuntur inferiores toti clericorum collegio; cur

~~non potius epiſcopo debebũt deferre in eo, quod eſt minus, ſcilicet in ſalutationibus concionum?~~

Et ſi talia doctrinæ præcepta, & exempla non eos mouent, moueat (quæſo) auctoritas prædeceſſorum ſuorum, qui verè doctiſſimi, & auctoritatis regiæ nõ minus zelatores extiterunt, & numquam quid tale cum prędeceſſoribus noſtris, neq̃ nobiſcum tentarunt. Quia ſicut theoricè, ſciebant etiam practicè in hac naui eccleſiæ iuxta iam ſæpe adductam S. Clementis [T] comparationem, quod ipſe S. Papa ad eorum ſtatum docet pertinere his verbis: Ante omnia cum quiete, & ſilentio epibatæ, id eſt laici, in ſuis vnuſquiſq̃ reſideant locis, ne forte per inquietudinem, & inconditos, inutileſque diſcurſus, ſi paſſim vagari incæperint, vel ab officio ſuo nautas impediant, vel in alterum latus per eorum inquietudinẽ nauis preſſa dimergatur. Quod ſi quilibet ſuum non cuſtodit locum, proculdubio omnis ſtatus perturbabitur, & res confundentur. Quomodo autem (vt ait S. Ioannes Chryſoſtomus [V]) non erit confuſio eſſe epiſcopos inferiores laicis, quos æquales eſſe confuſio eſt? Et nos addimus: maximè in eccleſiaſticis functionibus.

T S. Clem. Pap. I. in d epiſt. I. § ſiqui ex fratribus, col. 2.

V S. Io. Chry in Mat. 25

Precamur itaq̃ Dominos Senatores Limanos, vt ſinguli ſibi intelligant dictum, quod Anaſtaſio Imperatori de epiſcoporum auctoritate reſcripſit S. Gelaſius Papa his verbis: Noſti itaque inter

hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi voluntatem. Si enim (quantum ad ordinem pertinet publicæ diſciplinæ) cognoſcentes imperium tibi ſuperna diſpoſitione collatum legibus tuis ipſi quoq; parent religionis Antiſtites (ne vel in rebus mundanis excluſæ videantur obuiare ſententiæ) Quo (rogo) te decet affectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus ſunt attributi myſterijs? Si ergo nos reddimus libentiſſimè quæ ſunt Cæſaris Cæſari: cur non potius ipſius Cæſaris miniſtri non ſuſtinebunt in nobis reddi, quæ ſunt Dei, Deo? Imperium enim eorum (vt ait S. Nicolaus [x] Papa 1. expreſſus in iure) ſuis publicæ rei adminiſtrationibus debet eſſe contentum, non vſurpare, quæ ſacerdotibus Domini ſolùm côueniunt. Diſtincta enim eſt poteſtas regalis ab epiſcopali auctoritate, vt ſupra ex auctoritate S. Gelaſij probauimus, & plenius probat idem S. Nicolaus [y] nô ſemel relatus in iure. Et totum prædicationis negotium quis vnquam dubitauit ad ſolos epiſcopos, vtpote præcipuum eorum munus, pertinere? Et præter quam [z] illicitum eſt eum, qui non ſit ex ordine epiſcoporum, eccleſiaſticis intermitti tractatibus; etiã (vt verbis loquamur S. Gelaſij [A] in iure relati) ad ſacerdotes Deus voluit, non ad ſæculi poteſtates, quæ eccleſiæ diſponenda ſunt pertinere. Quas (ſi fideles ſunt) eccleſiæ ſacerdotibus voluit

[x] S. Nicola. Pap. 1. in epiſt. 7. ad Michaelē imperato. & eſt tex. in c. imperium, 10. diſt.

[y] S. Nicola. vbi ſupra, & eſt tex. in c. quoniam 10. diſt. & in c. cum ad rerum 96. diſt.

[z] c. ſatis 96. diſt.

[A] S. Gelaſ. Pap. 1. epiſt. 8. & eſt tx. in ſi imperator 96. diſt.

luit eſſe ſubiectas. Non ergo quis ſibi vendicet alienum ius, & miniſterium, quod alteri deputatum eſt; ne contra eum tendat abrumpi, á quo omnia conſtituta ſunt, & contra illius beneficia pugnare videatur, à quo propriam conſequutus eſt poteſtatem. Caueant exemplum Oziæ, [B] qui á Dño lepra percuſſus eſt, quia (vt in iure [C] dicitur) ſacerdotum officia vſurpare voluit. Et videant quod (ſicut in ſancta Synodo teſte Iulio [D] Papa I. Patres dixerunt, & eſt expreſſum in iure) Epiſcopi ſuper habentes ſæculi poteſtatem ſciant ſe á Dño conſtitutos, non é contra. Et ſicut maior non poteſt á minore iudicari, ita neque obligari. Et certum eſt (docente Felice Papa 3. [E] vt refertur in iure) hoc rebus eſſe ſalutare, vt cúm de cauſis Dei agitur, iuxta ipſius conſtitutionem ſæculi Poteſtates regiam voluntatem ſacerdotibus Chriſti ſtudeant ſubdere, non præferre; & ſacroſancta per eorum Præſules potius diſcere, quàm docere; eccleſiaſticam formam ſequi, non huic humanitus ſequenda iura præfigere; neque eius ſanctionibus velle dominari, cuius clementiæ Deus voluit piæ deuotionis colla ſubmittere. Ne dum menſura cœleſtis diſpoſitionis exceditur, eatur in contumeliã diſponentis. Et in iure [F] etiam ſcriptum eſt: Quod obſequi ſolent Principes chriſtiani decretis eccleſiæ, non ſuam præponere poteſtatem, epiſcopis

caput

B 2. paralip. 26. v. 19.

C c. nos, §. item Balaã verſ. ſicut ergo, 2. q. 7

D Iulius Pa. 1. in decretis, c. 36. & eſt tx. in c. in ſancta 2. q. 7.

E Felix Pa. 3. relatus in c. certũ 10. diſt.

F c. numquã 96. diſt.

caput ſubdere non de eorum causis iudicare.

Præterea etiam, si præmiſſæ omnes rationes, leges, auctoritates, & exempla deficerent, attēdi debet, quòd quęuis rerum nouatio non caret perturbatione. Et sicut plus eſt periculi corporibus vere, & autumno ob immutationem; ita nouitas omnē offendit, aut perturbat rempublicam.

Quamobrem, licèt quædam ex ſupra relatis sint deciſſa in fauorem noſtræ dignitatis, necnon & alia non leuioris momenti, & tam firmis fulciantur rationibus, & legibus; prædeceſſores tamen noſtri libenter quod in vſu eſt, tolerandum eſſe cenſuerunt, & nos annuimus propter pacis bonum publicum.

Multa alia ſeſe hic offerebant dicenda pro inuariabili, & inueterato vſu nos ſalutandi ante Dominos Senatores; quæ, quia notoria ſunt, omittimus. Et interim interiorem mentium noſtrarum Nos, & Domini Senatores admoueamus auditum Pſalmiſtæ nos ita monenti: Effuſſa eſt contemptio ſuper Principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via. Et videamus pariter (docente nos S. Gelasio) quód sicut non leue diſcrimen incumbit Pōtificibus siluiſſe quod pro diuinitatis cultu conuenit; ita (quod absit) non mediocre periculum eſt ijs, qui, cúm parère debeant, deſpiciunt.

Caueat quiſque ne locum oculorum, quem in

eccle-

ecclesiæ corpore primum habent episcopi post Christum eius caput, præocupare, vel auertere, vel mutare intendat, id enim fieri nequit, nisi grauiter episcoporum prærogatiuam, & auctoritatem lædẽdo. Et prius illud compertum sibi sciat, quod de summis sacerdotibus, qui sunt episcopi, intelligit ius canonicũ * Deũ per Prophetam G dixisse: Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei. Simulque cum Saluiano H animaduertat, quòd ad exprimendam teneritudinem pietatis suæ erga episcopos Deus pupillam oculi, tenerrimam scilicet partem humani corporis nominauit: vt apertissimé intelligeremus eum tam parua Sanctorum suorum contumelia lædi, quàm parui verberis tactu humani visus acies læderetur.

* c. accusatio el 1.2. q.7.

G Zacha. 2. v.8.

H Saluianus lib. 8. de gubernatione Dei, sub finem

Videat etiam volens locum sibi non debitum tenere (nõ temeré, sed cum S. Gelasio I loquimur) quòd nullatenus apprehendet, & modum suum apud Deum, & apud homines non tenebit. Quod per exemplum Coré, & sociorum iam relatum patet. Et confirmatur exemplo Saulis. L Is enim quia, non expectato Samuelis aduentu, sacrificauit, meruit audire ab ipso Samuele: Stulté egisti; & nequaquam Regnum tuum vltra consurget. Immo paulo post in prælio miseré interfectus est, M adeo vt diceret se ipsum interfecturo: Sta super me, & interfice me: quoniam tenent me angustiæ: vel (secundum

I S.Gel.Pa. 1. epist.8.

L 1.Reg.13. v.13.& 14

M 1.Reg.31. v.6.

cundum diuersas versiones) quia occupauerunt me graues tenebræ; vel: quoniam terrent me vestes sacerdotales. Angustiæ enim tenebunt in hora mortis illos, quos graues tenebræ occupauerũt, ne attendant sacerdotum honorem, sicut fecerat Saul, vel officium sacerdotale vsurpans(vt dictum est) immolando; vel eorum dignitatem contemnens eos in Nobe occidi præcipiendo,[N] & ideo terrebant eum vestes sacerdotales, id est, repræsentatio sacerdotum, quorum officium practicè nescierat, qui dignitatem contempserat.

N 1. Reg. 22. v. 18.

Et qualis condemnatio (inquit S. Clemens relatus [O] in iure) eis immineat, qui in patres peccat Scriptura diuina ostendit. Si enim Cham,[P] quia non operuit pudenda patris maledictus est; multo ampliore cõdemnatione digni sunt, qui patribus legatione Dei fungentibus contumeliam inferunt.

O S. Cle. Pa. 1. & martyr, epist. 2. & tx. in c. qualis 2. q. 7.

P Gen. 9. v. 22.

Vnde quædam glossa notat,[Q] quód in eodem genere delicti plus peccatur contra patres spirituales, quàm erga carnales. Nam(vt alia glossa [R] dicit) religiosiores sunt copulæ mentium, quàm corporum, & ita in exhibitione reuerentiæ plus deferendum est patribus spiritualibus.

Q gloss. verb. ampliore, in d. c. qualis. 2. q. 7.

R gloss. verb. multo magis, in ca. Pitacium. 30. q. 1.

Maledictionem, quæ Chamum contigit, euadere volebat magnus ille Constantinus Imperator, quando dixisse narratur: [s] Si proprijs oculis vidissem sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monastico habitu circumamicti sunt, peccantem; chlamydem meã explicarem, & cooperirem eũ, ne ab aliquo videretur. Et notat S. Augustinus, [r] quòd hoc Christus adhuc in hac vita partim recompensauit Constantino; quia post modum in bellis fœlicissimus fuit.

s Theodor. ecclesiast. hist. lib. 1. c. 11.

r S. August. de ciuita. Dei. lib. 1. c. 25.

Et caueat etiam vnusquisque minas Dñi per Isaiam [v] dicentis: Vę, qui spernis (scilicet secundũ interlinearem, quia non Deo, sed tibi attribuis) non ne & ipse sperneris? Cùm fatigatus desieris contemnere, contemnêris. Exemplo sit Belisarius Imperatoris [x] Iustiniani strenuissimus dux, qui postquam innumeras obtinuit victorias, ex quo Siluerium Pontificem contempsit, è summa gloria subito ad summam miseriã redactus est: adeo vt iussu imperatoris excæcatus tuguriolum sibi prope viam constitui fecerit; vt in eo victum à transeuntibus quęritans reliquum vitæ trãsigeret.

v Is. 33. v. 1.

x Iustinus in vita Iustiniani.

Meminerint etiam exemplum, quod de Remo retulimus, qui occissus est, eo quod murum

tran-

transcendere voluerit: Quantò magis qui muros ecclesiasticæ hyerarchiæ; immo angelos, archangelos, & trhonos Dei tentare videntur se velle transcēdere? Videant ne cadāt in profundū laci.

Et præter alia multa, quæ veniunt consideranda, specialiter in periculo esse certum est, quod si sacerdotalis, & multo magis episcopalis honor despicitur, facile ignorantia religionis obrepet, vt nō obscurè S. Martinus Pap.[r] cuidā episcopo rescripsit: Ne in illis partibus deforet sacerdotalis decoris eximius ordo. Ne inde [inquit] de cætero magnum, & venerandum mysterium ignoretur. Quod præcipué in hoc Peruuio cauendum est, vbi fides Indorum adhuc tenella est, & eorum nationem [vt ait nostrum Limanum [z] Concil.] externis cerimonijs, & diuini cultus splendore ad summi Dei cognitionem, & venerationem supra modum allici compertum est. Quapropter statutū est ibi: Curent studiosé episcopi, ac pro suo modo etiā parochi, vt quidquid ad diuinū cultum pertinet diligenter, & quanto fieri poterit decorè peragatur, atq in his musicæ etiam studium, tum in cantoribus instituēdis, tum in musicis fistularum, cæterorumq instrumentorum adhibendis nullo modo prætermitant.

r S. Martin. Pap. 1. epist. 5.

z Conci. Liman. anno 1583. act. 5. c. 5.

Et quam expediat huiusmodi adhibere cautionem erga altaris,& diuini verbi ministros ad trahendos Indos ad fidem,& iam adductos in christianitatis officijs continendos, strenuissimus ille dux Ferdinandus Cortesius Nouæ Hispanię pręcipuus cōquisitor fertur sæpe docuisse hoc facto. Nam cùm esset supremus illarum partium gubernator, aliquoties prætexebat incuriam, quod tardius,vel ad sacram rem audiendam,vel ad publicam doctrinæ christianæ recitationem venisse videretur : vt ob hoc[quod ipse præordinarat] Indorum rector palam asperius eum obiurgaret,atq; etiam vapulare præciperet. At post admissam increpationem supplex errati veniam,& ne vapularet,postulabat, & in eius rei concessione rectorē se difficilem exhibere volebat. Et tādem,postquā obtinuisset,vtroq; flexo poplite manum osculabatur rectoris ad suæ gratitudinis significationem ob veniam impetratam. Vt hac arte inderet Indis cum religionis affectu erga sacerdotes,& Dei ministros debitum honorem, & reuerentiam.

Forté videbimur cuipiā fastidienti,plura dixisse,quàm res exigit,quamuis plura omittimus,quę si pro dignitate res esset tractanda dicere oporteret.

teret. Sed reſpondemus, quòd honor epiſcopalis (vt S. Ambroſius ait [A])coram hominibus præclarus eſt: ſed ſi ruinam ſuſtineat, dolor magnus eſt. Nam quãto præ cæteris gradus epiſcopalis altior eſt, tanto ſi per negligentiam delabatur, ruina grauior eſt. Magna ſublimitas magnam habet cautelam; honor grandis grandiore debet ſolicitudine circumvallari.

A S. Ambro. de dignit. ſacer. c. 3.

In præmiſſis id principaliter omnibus teſtatũ eſſe volumus, quod non optamus (vt S. Gelaſius [B] alibi proteſtatur) tam præponi alijs, quàm cum fidelibus noſtris ſanctum, & Deo placitum habere ſermonem. Hæc enim mihi pax ſolida, inconuulſa, & peremnis; hoc vnum vinculum ſalutare, quo noſtra vniri, & conſeruari poſſit eccleſia.

B S. Gel. Pa. 1. in epiſt. 8. ad Anaſtaſ. imp.

Et multo minus occaſione ſupradictorum putet aliquis quod intendimus auctoritatem catholicę maieſtatis perturbare, aut in aliquo minuere. [C] Non enim ignoramus, quòd in ſumma Concilium Pariſienſe docuit, [D] ſcilicet, obſequiũ à ſubiectis regiæ poteſtati impendi debere, quòd legalia præcepta apertè teſtantur, & Dñus in euãgelio admonet dicens; [E] Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Petrus quoque

C argument. tx. in c. nouit de iudic.

D Conc. Pariſien. ann. 819. lib. 2. cap. 8.

E Matth. 22. v. 21.

ait:

F 1.Pet.2.v.13. ait: [F] Subiecti ſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tamquam ab eo miſſis, &c. Et non poſt multa: Deum timete, Regem honorificate. Paulus etiam

G Rom. 13. v.1. Apoſtolus in id ipſum concordans ait: [G] Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi á Deo: quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, &c. Idem etiam ſcribit

H Tit.3.v.1. ad Titum: [H] Admone illos Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe. Quapropter neceſſe eſt, vt vnuſquiſq́ fidelis tantæ poteſtati ad ſalutem propriam, & honorem regni ſecundum Dei voluntatem, vtpote membrum capiti, opem congruam ferat, pluſque in illo generalem profectum, & vtilatem, atque honorem regni, quam lucra, quærat mundi, quatenus his ſaluberrimis opitulationibus ſibi viciſſim ſuffragantibus, æterno regno pariter mereantur perfrui fœlices.

At cùm Rex noſter nomine, & re catholicus ſuis certè legibus patiatur nihil perire, & chriſtiano nomini nullum admittat ingeri detrimẽtum: inde indubitanter credimus, quòd Princeps egregius (qui non ſolum præſentia Chriſti beneficia,

ſed

ſed deſiderat & futura)religioni, veritati, & ſyn-ceritati catholicæ temporibus ſuis non patietur quemquam inferre diſpēdium: vt ſumma fiducia (o bone Deus)illic eius religionis petat,& conſequatur præmia, cuius hic damna prohibet Non erunt igitur grauia quæ pro ſuæ ſalutis æternitate dicuntur. Quæſo tandem pietatem ſuam, vt quo affectu hæc dicuntur á me, eo ſuis ſenſibus intimari dignetur.

Quantauis itaque ſit regalium ſenatorum auctoritas, propter eam tamen,noſtræ dignitatis auctoritati nihil detrahi fas eſt, neque nos id pati poſſumus.

Deſinant ergo(quæſo)temporibus ſuis per occaſionem perturbationis eccleſiaſticæ præcipitanter ambire,quæ non licet: ne & illa quæ male appetunt,nullatenus apprehendant,& modum ſuum apud Deum,& homines non teneant.Qua propter ſub conſpectu Dei purè,ac ſyncerè pietatem eorum deprecor, obteſtor,& exhortor,vt allegationem meam non indignanter accipiant, rogo (inquam) vt me in hac vita potius audiant deprecantem,quám(quod abſit)in diuino iudicio ſentiant accuſantem. Nolint [precor]iraſci mihi

ſi eos

si eos tantum diligo, vt auctoritatem quam temporaliter assequuti sunt, velim eos habere perpetuam, & qui imperant sæculo, possint regnare cũ Christo. Pietatem quoque eorum precor, ne arrogantiam iudicent diuinæ rationis officium. Absit [quæso] á tantis viris, vt intimatam suis sensibus veritatem arbitrentur iniuriam. Et ne (quod docet glossa ordinaria [I]) asperè accipiant quod pro salute fieri certum est.

I glosſ. ord. in Tit. 2. verbo argue.

In præmissis, si [quod absit] minus peritè, aut parum cautè forte aliquid positum est, emendari cupimus ab eo, qui S. Petri & fidem, & sedem tenet.[L] Limæ die septima Martij anno *1650*.

L argumento c. hæc est fides 24. q. 1.

Petrus Archiepiscopus Limanus.

✠

D. PETRI DE VILLIAGOMEZ

Archiepiſcopi Limani iuris Allegatio.

PRO EDICTO SVO

contra laicos comis habitum Clericalem deturpantes.

Anno  1650.

Matriti ex Typographia Dominici Garcia, & Morras.

